Origo divino-apostolica doctrinæ evectionis Beatissimæ Virginis ad gloriam cœlestem quoad Corpus

*

Disquisitio dogmatica

auctore

Francisco Salesio Mueller S. J.
Theologiæ in Pont. Universitate Gregoriana lectore

*

ALMA COLLEGE
233.84
LIBRARY
M888
Alma, California

POSTULAZIONE GENER
ALMA COLLEGE
LIBRARY
D. C. D. G.
Borgo S.to Spirito
Alma, California
ROMA

Oeniponte
Typis et sumptibus Fel. Rauch
1930

70927

8682

Opus, cui titulus „Origo divino-apostolica doctrinæ evectionis Beatissimæ Virginis ad gloriam cœlestem quoad Corpus“ a P. Francisco Salesio Mueller S. J., exaratum imprimi potest.

Coloniæ, die 8 Januarii 1930

J. Lauer S. J.
Præp. Prov. Germ. Inf.

*

Imprimi potest.

Viennæ, die 22 Martii 1930

Aloisius Ersin S. J.
Præp. Prov. Austriæ

*

Imprimatur.

Oeniponte, die 12 Martii 1930

Urbanus Draxl, Prov.

Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato: circumdata varietate. Ps. XLIV, 10.

Surge Domine in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ. Ps. CXXXI, 8.

Et apertum est templum Dei in cœlo: et visa est arca testamenti eius in templo eius . . . Et signum magnum apparuit in cœlo: Mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim. Apoc. XI, 19; XII, 1.

Procœmium

In Bulla „Ineffabilis“ Pius IX singulari gaudio commemorat, quanto desiderio, quanta pietate filii Ecclesiæ definitionem Immaculatæ Conceptionis Matris Dei efflagitaverint. Quanta deinde lætitia universus orbis catholicus hanc decisionem exceperit, quam viva fide ipsi adhæserit omnibus sane compertum est.

Non minori forsitan zelo nostris diebus a tot fidelibus cultoribus Mariæ, beneficiorum Matris cœlestis grata memoriam servantibus anhelatur, ut Assumptio ad gloriam cœlestem etiam quoad corpus tamquam dogma fidei solemniter proclametur.

Hæc devotio erga divinam Matrem de die in diem crescens in mediis procellis, quibus undique perturbamur singulariter nos consolari debet. Signum enim manifestum exstat Spiritus Sancti invisibiliter Ecclesiæ assistentis cordaque fidelium illuc dirigentis, ubi efficacissimum auxilium, immo verum portum salutis inveniant. Nonne ipsa Virgo Spiritu afflata exclamavit: „Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes?“ (Lc. 1, 48.)

At cur novæ semper ac novæ gemmæ coronæ reginæ sanctorum inserendæ?

Solidissimam huius rei explicationem nobis Suarez præbet: „In novo testamento pauca quidem verba de virgine scripta sunt, quoniam tota Evangelistarum et Apostolorum intentio ad Christum referebatur, quia illo cognito, eiusque fide satis fundata, non poterat matris eius excellentia, aut ignorari, aut occultari; in illis vero paucis verbis, eisque gravissimis, quædam præcipua capita indicata sunt, quæ omnia, quæ de Virgine dici possunt, virtute continent... Cum enim non possent Evangelistæ

1 Mueller, Evectio B. M. V. ad cœlum quoad corpus

singula persequi, ea, quæ maxime necessaria erant, attigerunt, ut ex eis reliqua intelligeremus."[1]

Quæ hic quoad Evangelia Doctor Eximius asserit, toti S. Scripturæ et initio etiam Traditioni applicari possunt, in quibus æterna Sapientia non singula cimelia Matris Dei explicitis verbis proposuit, sed potius aliqua disertissime asserit, quæ fructuosissimi seminis instar implicite illa concludebant, quæ Deus de Benedicta in mulieribus nobis revelare voluit et quæ iuxta inscrutabile consilium suum nonnisi decursu sæculorum plena luce meridiana nitere debebant. Idcirco maximi momenti est, ubi agitur quæstio, quomodo decora Mariæ ut revelata probentur, recta et sana via incedere. Certe ratio, cur aliqui dubio tangantur, utrum Assumptio corporalis Virginis tamquam dogma definiri possit necne, immo aliquoties talem definibilitatem negent in eo invenienda remanet, quod non omnes defensores definibilitatis, quantum iudicare licet, recta methodo utantur.

Suavem autem divinæ providentiæ dispositionem in eo cernere oportet, quod nunc in Ecclesia tantus zelus gloriæ Mariæ augendæ viget. Cur ex. gr. epocæ recentiori proclamatio dogmatis Immaculatæ Conceptionis reservata est? Laus specialissima Virginis semper in eo resplenduit, quod hæreses virgineo pede contereret. Nonne etiam nostris diebus perniciosus error caput emergit, ad quem retundendum et profligandum præcise doctrina ista privilegii Marialis solemniter promulgata aptissima est. Nostris enim diebus omni ope schismatici illam evolutionem dogmatis impugnant, quam Ecclesia Catholica tenet et defendere cogitur et quæ vix in ullo dogmate tanta evidentia elucet quanta in veritate immunitatis a labe originali, cui olim Oriens etiam schismaticus tantopere addictus erat.

Simile quid in Assumptione corporali habetur, si ut fide divina credenda evincitur. Etiam hic ista evolutio dogmatis sensu Catholico luculenter patet simulque efficacissime ostendi potest hanc quoque doctrinam in Oriente fidelissimos asseclas nactam esse.

[1] De Incarnatione. Pars secunda. Myst. vitæ Christi. Ex Præfatione.

Immaculatam Conceptionem Pius IX S. M. revelatam esse definivit et declaravit. At censendane est etiam evectio Virginis quoad corpus ad gloriam cœlestem veritas revelata?

Suarez inquirens „qua certitudine hæc veritas tenenda sit" primo recenset iudicia aliorum: „Author ... libri de Assumptione nomine Hieronymi, eam dubiam relinquere visus est, quamquam ita pie posse existimari non neget. Et fere cum eadem formidine hoc asseruit Augustinus ... Abulensis ... etiam ... solum dicit esse probabiliorem opinionem. Caietanus autem ... dicit esse piam sententiam, et fere idem docet Scotus ... Canus vero ... addit esse petulantem temeritatem hoc negare, quem secutus est Corduba ... Catharinus autem ... contra Caietanum ... contendit esse de fide." Deinde Doctor Eximius ipse ita iudicat: „Sed revera non est, quia neque est ab Ecclesia definita, nec est testimonium scripturæ, aut sufficiens traditio, quæ infallibilem faciat fidem. Est igitur iam nunc tam recepta hæc sententia, ut a nullo pio, et catholico possit in dubium vocari, aut sine temeritate negari, atque adeo videtur habere eum gradum certitudinis, quem habet alia veritas supra tractata de sanctificatione Virginis in utero matris."[1]

Nullatenus vero Eximius definibilitatem huius veritatis ut dogmatis negat; nam clarissimis verbis asserit Immaculatam conceptionem Virginis definiri posse et quidem ut a Deo revelatam.[2] In textu autem mox citato lo-

[1] De Inc. Disp. XXI sect. 2 in editione Venetiis 1746. t. XVII p. 167; dictiones „fide pia" vel „sententia pia" aliquid admitti non negare aliquid esse revelatum optime ostendit Deneffe, Scholastik 2 (1927) 53—77: vide præsertim p. 70—71.

[2] „Dico .... veritatem hanc, scilicet, Virginem esse conceptam sine peccato originali, posse definiri ab Ecclesia, quando id expedire iudicaverit. .... Hoc ita declaratur. Quia hæc veritas est supernaturalis, multum referens ad Ecclesiæ utilitatem, et pietatem, et pervenire res potest ad eum statum in quo absque nova, et explicata revelatione habeat Ecclesia sufficientia motiva ad hanc veritatem definiendam, ex implicita .... Dei revelatione sibi sufficienter proposita." Ibid. Disp. III sect. VI p. 25—26; in statim sequentibus deinde iterum exprimit Assumptionem eodem modo definiri posse, sicut Ecclesia definivit quæstionem de habitibus infusis, de canonica auctoritate aliquorum librorum sacræ scripturæ, de carentia omnis peccati venialis in ipsa Virgine.

quens de certitudine, qua **Assumptio Virginis quoad corpus** tenenda sit utrique veritati **eundem gradum certitudinis** vindicat; quapropter absque ullo dubio definibilitatem privilegii Assumptionis agnoscit. Hanc doctrinam pie admitti nemo negat. Quæstio nunc temporis definibilitatis ut dogmatis agitatur. Cum autem hæc definibilitas ut certa propugnari nequeat, nisi Assumptio corporalis in ipso verbo Dei revelato continetur iam inquirendum est, utrum ipsum Verbum Dei hoc decus Mariæ asserat annon.

Hac disquisitione probare intendimus hoc privilegium Matris Dei ita in revelatione contineri, ut tamquam veritas fide divina credenda fidelibus proponi possit.

Omnibus, qui consilio vel opera nos adiuvarunt, clarissimo editori pro cura in opusculo expedite prælo dando adhibita intimas gratias agimus.

Benignissima Mater cœlestis hoc minimum opusculum accipere et benedicere dignetur.

Romæ, die festo Apparitionis Virginis Immaculatæ tertio Idus Februarii 1930.

Auctor.

A. Notæ præliminares:

In Concilio Vaticano plus ducenti Patres diversis postulationibus subscripserunt quibus a Sancta Sede enixe petebatur, ut Matris Divinæ ad cœlos assumptio **etiam quoad corpus** tamquam dogma fidei proclamaretur. Hanc doctrinam e penu traditionis divino-apostolicæ depromptam esse celsissimi præsules amoto quovis dubio asserunt.[1] ... Non ergo tantum asseritur **factum** assumptionis Beatissimæ Virginis quoad corpus, sed etiam stabilitur hanc veritatem in verbo Dei ita contineri, ut tamquam fidei Dogma definiri possit.

Hunc characterem doctrinæ ut **divinitus revelatæ** defendere in animo est.

a. Determinatio obiecti probandi ut divinitus revelati.

Hoc unum tamquam sic revelatum defendimus: **Corpus Beatissimæ Virginis animæ gloriosæ unitum esse.** Mortem et resurrectionem Matris Dei profecto admittimus, sed cum neutra se habeat instar prærequisiti necessarii ad unionem corporis cum anima **gloriosa,** in præsentia ab earum revelatione disquirenda præscindimus.[2]

Clarissimus Renaudin ita obiectum determinat: „Il est bon de dire que si, conformément à la croyance de l'Eglise, nous supposons la réalité de la mort de Notre-Dame, la glorification corporelle de Marie n'exige pourtant pas la mort comme condition nécessaire, et que les raisonnements qui seront exposés dans cette étude garderaient toute leur valeur même dans le cas où la sainte Vierge ne

---

[1] Coll. Lac. t. VII col. 868-872.

[2] Cf. Scheeben, Handb. d. Kath. Dogmatik, Freiburg 1882, Herder. III, n. 1740.

serait pas morte; car alors il n'y aurait pas lieu de parler de sa résurrection, mais seulement **de la présence au ciel de son corps vivant et glorieux;** et ce sont précisément les termes du problème dans lequel nous nous demandons si cette doctrine est révélée."[1]

Item Broussolle: „Elles (les études sur l'Assomption) ont fait de mieux en mieux ressortir, avec l'histoire de la croyance et de la fête, la vérité surnaturelle qui y correspond à savoir: la résurrection anticipée de la Vierge, ou plutôt — car on ne saurait ici employer trop de précision, — la glorification totale de la Vierge dans le ciel en corps et en âme. La croyance ne porte donc pas, directement et principalement, sur la vérité purement historique du fait de l'Assomption, considérée comme fait. **Elle porte plutôt, et même elle porte uniquement, sur la vérité d'ordre surnaturel qui en est la conséquence,** c'est-à-dire le privilège qui achève d'établir la Vierge Marie, au terme de son pélerinage terrestre, dans cette catégorie d'exception que, dès le premier instant de la Conception, Dieu avait réservée à celle qui serait la Mère de Jésus."[2]

Inferius probabitur corpus Virginis **etiam dotibus corporis gloriosi ornatum esse. Hic tanquam obiectum formaliter revelatum** et **ut tale argumentis afferendis propugnandum** designamus tantum: **Corpus Beatissimæ Matris Dei animæ gloriosæ unitum esse.**

b. Viæ principales quibus diversi auctores definibilitatem Assumptionis corporalis ut dogmatis defendere conati sunt:

Multis discussionibus iam præhabitis nostra ætate communiter conceditur in demonstranda hac veritate ut revelata procedi non posse methodo mere **historica.** Imprimis monumenta historica non sufficiunt. Poteris qui-

[1] La doctrine de l'Assomption de la T. S. Vierge, sa définibilité comme dogme de la foi. Paris 1912. Téqui, p. 55.

[2] L'Assomption en Espagne au VII^e siècle et S. Ildefonse de Tolède: L'Assomption de la sainte Vierge 4 (1921) 114.

dem assentiri Wiederkehr reicienti assertum istud ex quinque primis sæculis nullum exstare testimonium alicuius momenti: „Mit der Theorie vom »leeren Raum« der ersten fünf Jahrhunderte in der Geschichte der Lehre von der leiblichen Aufnahme ist's also nichts; sie bewahrheitet sich nicht einmal für das vierte Jahrhundert. Die Nachrichten über die Annahme einer leiblichen Verherrlichung Mariens gehen rückwärts über Epiphanius hinaus."[1]

Sed nihilominus Scheeben (Handb. d. kath. Dogm. III, n. 1737) intantum assentieris, ut non audeas documentis historicis superstruere ædificium historicum. Maximopere autem theologo hic perpendendum est **hac via nullatenus posse perveniri ad metam** i. e. ad probandam gloriam Virginis quoad corpus **ut revelatam.** Etsi enim **elevatio Virginis ad cælos** observata fuisset a testibus fide dignissimis, si omnia requisita pro valore testimoniorum per-

---

[1] Die leibliche Aufnahme der allerseligsten Jungfrau Maria in den Himmel. Einsiedeln 1924, Benziger, p. 26; bene tamen defendit Wiederkehr rem methodo historica decidi non posse: „Soll deswegen die ‚Frage' der leiblichen Aufnahme Mariens **theologisch** erörtert werden, so darf sie nicht bloß eine **‚Frage'** sein, sondern muß **Sache des Glaubens** sein. Soll aber untersucht werden, ob das behauptete Faktum der leiblichen Aufnahme eine Sache des Glaubens sei oder nicht, dann kann dies nur durch die Beantwortung der Frage geschehen: Was predigt die Kirche heute hierüber?

Die Wahrheit dieser Grundsätze hat bewirkt, daß jene Ansicht früherer Theologen einer rationalistischen Zeit nun in der katholischen Theologie keinen Kredit mehr hat, die vermeinte, zuerst müsse die ‚Quæstio historica', die historische Frage gelöst sein, bis die Kirche etwas dazu sagen dürfe." Wiederkehr, Die leibliche Aufnahme etc. a. l. p. 32-33.

Pohle: „So wenig wie der Tod und die Grablegung, läßt sich die körperliche Wiederauferstehung und Himmelfahrt Mariens durch einen historischen Beweis erhärten. Eine geschichtliche Tradition existiert nicht, wenigstens keine solche, die als Grundlage eines dogmatischen Traditionsbeweises dienen könnte." Lehrbuch der Dogmatik. Paderborn 1912, Schöningh, II[5] p. 314, et paulo inferius: Nun wird man freilich mit Recht sagen: „Wenn Mariä Himmelfahrt sich nicht auf **historischem Wege als Tatsache** beweisen läßt, wie ist es dann möglich, von einer **‚sichern Lehre'** zu reden, die gegebenenfalls sogar zum Dogma erhoben werden könnte? Darauf ist zu erwidern, daß auch **die dogmatische Methode** ein geschichtlich unbezeugtes oder schlecht bezeugtes Faktum als geschehen ebenso sicher zu bezeugen vermag, wie **die historische** Methode. Oder können wir vielleicht für die Tatsachen der unbefleckten Empfängnis und Sündlosigkeit der Gottesmutter **geschichtliche** Zeugen auftreiben? ibd. p. 315.

fecte præstarentur, evinceretur utique Deum istam elevationem **perpetrasse,** minime Deum illam **revelasse.** Insuper probata esset tantum **elevatio ad cælos,** nam **historice** probari non possunt nisi facta sensibilia; nondum constaret **status gloriosus corporis** Matris Dei. Inquies: Nonne testes potuissent percipere dotes corporis gloriosi, Virginem ascendentem deliciis affluentem, fulgore mirabili corruscantem? Sed ita nondum demonstraretur status gloriosus corporis. Nam v. gr. in monte Christi facies resplenduit sicut sol: vestimenta eius facta sunt alba sicut nix. Attamen corpus Christi permanebat **passibile.** Potuissent quidem testes supposita resurrectione Virginis, supposito pariter ex revelatione introitu Mariæ in gloriam cœlestem quoad animam sufficienti certitudine **concludere** Virginem evehi ad gloriam cœlestem **etiam quoad corpus.** Sed qui ita ratiocinarentur iam **a recta via inquisitionis historicæ** discederent, nec tamen, quod maxime quæritur, demonstrarent gloriam illam corporis esse revelatam.

Item patet non posse quemquam hic velle inniti revelationi **privatæ;** (cuius de cetero nullibi vestigium apparet) nam, ut aliquid tamquam dogma definiri possit, in depósito revelationis **publicæ** ab Apostolis Ecclesiæ traditæ inveniatur, oportet.[1]

Quodsi scripta eorum conspicimus, qui usque modo hanc definibilitatem defenderunt duas classes principales distinguere licet:

I. Priores omni ope insistunt in **explicita** communicatione huius doctrinæ per Apostolos facta. Sin autem distinctius inquiritur, qua via demonstretur ipsos Apostolos hanc veritatem a Deo accepisse diversis modis singuli auctores id explicare conantur:

Aliqui ita fere arguunt: Aut Apostoli testes oculati Assumptioni corporali adstiterunt aut nemo eorum tali honore dignatus est. Utroque supposito aliqua revelatio divina aut interventus divinus revelationi æquivalens admittendus est.

[1] Cf. Dict. de la Bible I, 1135.

Si nemo Apostolorum testis oculatus exstitit, præcones illi non poterant cognoscere hanc veritatem illa perfecta certitudine, quam professio Ecclesiæ manifestat et qualis exstitit statim ac Assumptio publice coli cœpta est. Sepulchrum enim vacuum indicium quidem esset at minime firmam illam et ineluctabilem persuasionem iustificasset, cum Deus corpus Virginis abscondere potuisset, similiter ac olim corpus Moysis sanctissimo et sapientissimo consilio piæ venerationi Israelitarum subtraxerat. Sin autem Apostoli aut saltem quidam ipsorum tanto digni habiti sunt honore, ut elevationem corporalem ad cælos oculis suis conspicerent, hoc præcise specialissimæ providentiæ divinæ tribuendum est, cuius finis adæquatus cerni non potest, nisi in eo, quod Deus apostolis ut testibus præordinatis et præconibus Evangelii pro toto mundo omnibusque generationibus usque in finem sæculorum omnimoda certitudine persuadere voluerit Virginem quoad corpus esse assumptam ipsisque pariter imponere, ut hanc veritatem fidelibus credendam traderent. Quare specialissima hæc providentiæ divinæ dispositio revelationi æquivaleret.

Alii præsertim typis Veteris Testamenti innituntur puta arcæ fœderis, sponsæ libri Cantici Canticorum, reginæ psalmorum Davidis aliisque, quibus Deus secundum expositionem Patrum hoc privilegium Assumptionis corporalis præfigurare dignatus est. Agi de typis proprie dictis Assumptionis quoad corpus B. Virginis id præcise ex patristica interpretatione aliquorum textuum S. Scripturæ desumitur. Cum autem Deus in Vetere Testamento per typos istos revera intenderit præfigurare Assumptionem Virginis quoad corpus, cum item e traditione de hac intentione Dei constet, iam nullum dubium remanet privilegium Virginis formaliter revelatum esse non quidem verbis sed rebus.[1]

[1] Recensentes modos quibus huc usque auctores conati sunt Assumptionis definibilitatem ut dogmatis probare, intendimus ea proferre, quibus **primarie** innituntur. Non negamus ipsos etiam alias rationes afferre, immo illa argumenta indigitare, unde revera argui potest. Unice exponere nobis liceat, cur istæ viæ nobis sat securæ non appareant.

II. Altera classis potius urget fidem **actualiter** in Ecclesia vigentem, vel quæ ab aliqua epoca in Ecclesia viguisse demonstratur. Quam fidem Assumptionis corporalis Virginis asserunt explicari non posse nisi admittatur revelatio divina. Si singulos auctores respicis particularibus modis suum assertum probare nituntur. Quæ proposita quoad substantiam fere ad hæc redeunt:

Aliqui ita rem exponunt: De Assumptione corporali Virginis in Ecclesia exstat certitudo prout apparet in prædicatione universali, in disquisitionibus doctorum Ecclesiæ, in cultu et professione fidelium. Hæc autem certitudo explicari nequit absque revelatione divina. Poterat quidem historica methodo et de sepulchro vacuo et de corporali in aera elevatione constare; sed præsentia Virginis in cœlo quoad corpus vera certitudine asseri nequit nisi ab eo qui revelatione divina fulciatur. Similis hic distinctio introducenda manet ac fieri solet in Ascensione Domini, ubi omnibus fatentibus elevationem in aera præsentes apostoli ceterique discipuli Domini testari poterant, dum de glorificatione quoad corpus in cœlis, de sessione ad dexteram Patris non nisi communicatio divina veram certitudinem parit.

Alii censent Ecclesiam eo ipso gloriam Virginis quoad corpus exhibere ut obiectum fidei divinæ quod ipsam imponat ut obiectum cultus festivi solemnissimi et præcepti.

Fuerunt, qui ut hoc privilegium Matris Dei ratione cultus præstiti revelatum esse evincerent, huic axiomati inniterentur: Quotiescumque obiectum cultus e natura sua agnosci debeat pars systematis doctrinalis Ecclesiæ, toties talem cultum promulgationi fidei æquivalere, proinde traditionem quæ huiusmodi obiectum doceat censendam esse divino-apostolicam. Agi autem in casu Assumptionis corporalis de parte systematis doctrinalis Ecclesiæ inde deducitur, quod privilegium hoc considerari debet, tamquam exceptio a lege universali revelata iuxta quam resurrectio corporum non fiat nisi novissimo die. Nullam autem exceptionem a propositione universali revelata certo constare posse nisi ex revelatione divina.

Et hi sunt modi præcipui quibus Assumptionem Virginis quoad corpus et esse divinitus revelatam et ut fide divina credendam proponi posse diversarum scholarum auctores probare conati sunt. Absit autem ut tantorum virorum merita extenuare velle videamur. Nobis enim unice cordi est gloriam Virginis quoad corpus in cœlis **positive probare,** nequaquam aliorum argumenta **reicere.** Quare si aliorum argumentationem discutimus id hac una de causa facimus, ut pateat, cur isti modi ad veritatem hanc ut revelatam demonstrandam satis efficaces non appareant, et cur nobis alia via incedendum esse videatur. Propterea etiam a nominibus auctorum afferendis abstinuimus omnino.

Videamus imprimis, quid iudicandum sit quoad securitatem istius argumentationis superius primo loco nominatæ: Aut nullus Apostolus testis adstitit Assumptioni, aut aliquis vel plures tali honore digni habiti sunt: si prius iam patet ipsos plenam hanc certitudinem, qua ipsos hanc veritatem tradidisse constat — assequi non potuisse absque revelatione divina. Sin alterum admittimus iam hoc concessum est Apostolis tamquam præconibus veritatis revelatæ pro omnibus generationibus. Quare Apostoli hanc veritatem, auctoritati divinæ innixi tradidissent et proinde doctrinæ nostræ nihil deesset, quominus dogmatica definitione sanciretur.

Sed in argumentatione ex priori disiunctionis membro nobis videtur gratis supponi Ecclesiam quoad hanc doctrinam omnibus imponere assensum **irrevocabilem,** proindeque de certitudine non tantum stricte dicta, sed **infallibili** agi. At talis certitudo infallibilis non esset præsumenda sed probanda. Sin autem intenderetur tantum certitudo **vera,** non tamen infallibilis, iam non sequeretur ipsam haberi non posse nisi ex revelatione divina.

In argumentatione autem ex altero membro quærere licet: Debueruntne Apostoli tradere hanc doctrinam **ut spectantem ad depositum revelatum publicum,** an tantum ut **factum,** cuius testes oculati fuissent? Etiamsi enim

Apostoli præcones Evangelii ubique terrarum omnibus generationibus designati erant, quomodo certo probatur ipsos nihil tradere potuisse quod ad depositum revelatum publicum non spectaret?

Neve quis dicat, in Assumptione distinguendum esse inter **elevationem** in aera cœlum versus et glorificationem corporis Mariæ in cœlis. Hoc alterum certe non posse cognosci nisi ex revelatione. Si enim Apostoli oculis suis vidissent Mariam elevari in cœlum resuscitatam ad vitam, iam nullus alius scopus divina sapientia dignus excogitari potuisset, nisi ut Mater Dei in gloriam cœlestem transiret etiam quoad corpus; præsertim cum corpus, — supposito quod sit unitum animæ gloriosæ — et ipsum gloriosum sit oporteat, nisi prout in Christo durante vita mortali specialis ratio obstet. Jam ad argumentum ex typis Veteris Testamenti et inhærenti expositione Patrum quod attinet non satis constat agi de typis stricte dictis. Ad hoc enim requiritur, ut Deus certas personas vel institutiones vel eventus Veteris Testamenti providentia sua ad hoc præordinaverit ut personarum vel rerum Novi Testamenti figura exstarent. Quod cum a libera Dei dispositione dependeat, nec necessario ab hagiographo cognoscatur, nobis innotescere non potest nisi testimonio divino. Huiusmodi autem testimonium habetur, quoties certo constat Christum, apostolos, hagiographos Novæ Legis aliquam personam vel rem tamquam typum exhibuisse. Si vero Patres quantumvis multi aliquam institutionem vel quendam eventum Veteris Testamenti ut figuram alicuius rei Novæ Legis extollunt non continuo licet exinde concludere hanc rem Novi Testamenti typice a Deo revelatam fuisse. Remanet enim inquirendum, utrum Patres ad typicam illam explicationem textus Veteris Legis faciendam testimonio divino innitantur, an tantummodo comparatione, indagatione circumstantiarum etc. hunc sensum typicum colligant. Jamvero ex testimoniis Patrum ab auctoribus huius argumenti allatis non satis constare videtur ipsos Patres considerasse sensum typicum textuum Veteris Testamenti ut rem revelatam.

Demum qui traditionem **explicitam** Assumptionis per Apostolos factam admittunt in difficultates inferius discutiendas impingunt, quæ hac suppositione facta non satis solvi posse videntur.

Sed etiam auctoribus alterius classis accedere non possumus. Principium et fundamentum deductionis exclusivæ, qua illuc pervenire intendunt, quod scilicet sola revelatio divina sufficiat ad explicandam illam certitudinem, quæ in Ecclesia de privilegio Mariæ exstet — videtur in eo reponi, quod Ecclesia quoad Assumptionem Virginis imponat assensum irrevocabilem, proinde habeatur **certitudo infallibilis.** Si enim tantum agitur de certitudine vera, sed morali iam verum non est gloriam Virginis testimonio illorum qui elevationi cœlum versus adstiterant non potuisse sufficienter confirmari. Approbamus quidem distinctionem inter elevationem in aera cœlum versus sensibus perceptibilem et statum gloriosum in cœlis. Sed perpendendum remanet ex percepta elevatione Virginis ad novam vitam resuscitatæ et ex supposito testimonio divino de sanctitate Mariæ gloriam corporis in cœlis sufficienti certitudine concludi potuisse absque speciali revelatione de Assumptione. Quemnam enim alium finem æterna Sapientia et prædilectio Filii prosequi potuisset in ista elevatione in cœlum sensibus percepta et a testibus relata, nisi ut dulcissimum corpus istud, e quo carnem assumere dignatus erat in cœlestes sedes transferret. **In Ecclesia autem vigere certitudinem infallibilem Assumptionis probandum esset.**

Si quis autem huic doctrinæ notam veritatis revelatæ inde vindicare intendit, quod sit **pars systematis doctrinalis Ecclesiæ,** notandum est hoc non satis inde probari, quod sit exceptio ab illa lege universali iuxta quam resurrectio corporum non fiat nisi in novissimo die. In hac enim argumentatione supponitur resurrectionem mortuorum **nonnisi ut die Novissimo futuram tam universaliter revelatam esse, ut exceptio admitti non possit nisi ex revelatione divina.** At quid continetur in verbo Dei **quoad tempus resurrectionis?** Asseruntne testimonia S. Scriptu-

ræ tunc omnes omnino esse in morte? Nequaquam, sed hoc tantum in consummatione sæculi mortuos resurrecturos et quidem omnes eodem tempore; ergo omnes resurrecturos, **qui in morte sunt.** At huic obstare non videtur Deum specialissimis de rationibus aliquos eximere, **quin de hac re specialem revelationem tribuat.** Nec obiciatur paritas inter universalitatem resurrectionis **eodem tempore** i. e. Novissimo die et **universalitatem peccati originalis,** ubi exceptio statui nequit nisi exstet peculiare testimonium divinum. Nam paritas nulla est; siquidem homines aliquos in adventu Domini superstites ab universali resurrectione excipiendos, utpote non morituros plerique recentiores interpretes admittunt.[1] Item interpretes communiter Sanctos, qui in morte Domini resurrexerunt non iterum mortuos fuisse censent. Quare rationes maximæ convenientiæ sufficere poterant, ut pro Domina nostra exceptio statueretur.

Insuper alia ratio militabat, ut pro Maria postularetur anticipata resurrectio absque nova revelatione i. e. exemptio a causa mortis cum corruptione et permanentia in morte, nempe immunitas a labe originali.

Quodsi quis censet obiectum cultus eo ipso evadere obiectum fidei, statim quærere licet: Intenditurne obiectum cultus debere esse formaliter revelatum, utpote obiectum fidei divinæ, an tantum habendum esse ut conclusionem theologicam vel factum dogmaticum.

Si prius asseritur, i. e. obiectum cultus (supponimus Ecclesiæ **universalis**) debere esse formaliter revelatum, hoc statueretur aut ratione **cultus,** (latriæ, hyperduliæ, duliæ) aut ratione **certitudinis** prærequisitæ, ac si nihil cultui **publico** Ecclesiæ exponere liceret, de quo non infallibiliter constaret.

Sed profecto coluntur etiam ea, quæ revelata non sunt, puta Apparitio S. Michaelis Archangeli, Stigmata S. Fran-

[1] „Adnotasse sufficit, sententiam, iustos, quos Dominus adveniens vivos repererit, non esse morituros, sed, ut S. Aug. verbis utar, ‚ex hac mortalitate ad immortalitatem sine media morte transituros' unanimi fere consensu a græcis Patribus tradi atque inter latinos Patres quoque suos habere patronos." Cornely in 1 Cor. 15, 51 p. 508.

cisci, Inventio et Exaltatio S. Crucis et plura alia. Neque sustineri potest ad cultum publicum prærequiri certitudinem infallibilem. Nam respectu obiectorum istarum solemnitatum ista certitudo infallibilis deest. Dato autem et non concesso requiri certitudinem infallibilem, hæc adesse potest, quin habeatur revelatio **publica,** quæ tamen requiritur, ut quid definiatur tamquam dogma. Certitudo enim ista deberi posset revelationi **privatæ,** prout suggerit Turmel, qui deinde ipse optime adnotat: „Dans ce cas — la même elle (cette doctrine) s'imposerait à nous dans une certaine mesure, comme étant une vérité que l'Eglise approuve et favorise, sans être susceptible toutefois d'être érigée au rang des dogmes catholiques."[1]

Neque sufficit in casu dicere de tali revelatione privata nullam ad nos notitiam pervenisse. Nam ut cum certitudine arguas, Assumptionis doctrinam deberi revelationi **publicæ,** debes **privatam certo excludere.** Forsitan quis putat se hanc exclusionem evincere eo titulo, quod Ecclesia in introducendis festis non innititur revelationi privatæ, sed tantum publicæ. At iterum quæro, ubi inveniatur revelatio publica in Apparitione S. Michaelis ceterisque solemnitatibus supra commemoratis. Si replicares in istis solemnitatibus non tam celebrari specialem titulum puta Apparitionem vel Exaltationem S. Crucis sed primarie intendi cultum S. Michaelis et angelorum vel ipsius S. Crucis, huic asserto imprimis videtur obstare textus obvius S. Liturgiæ. Deinde nonne eodem iure adversarii definibilitatis Assumptionis ut dogmatis inferre possent etiam in festo Assumptionis non tantum coli hanc Elevationem in cœlum, sed primarie ipsam Matrem Dei.

Insuper Ecclesia infallibilis est etiam in conclusionibus theologicis deducendis ex revelatis veritatibus et in factis dogmaticis. Si ergo ad hoc ut quid evadat obiectum cultus sufficit ut instar conclusionis vel facti dogmatici se habeat, nondum sequitur obiectum cultus eo ipso fieri veritatem fidei aut proclamari posse tamquam dogma.

[1] Dict. de la Bible I, 1136.

c. Requisita ad definibilitatem veritatis ut dogmatis:

Notissimum est theologos catholicos inter se disputare, quid requiratur, ut doctrina aliqua tamquam **dogma fidei** definiri possit. Multi auctores cum Marin-Sola,[1] de Grandmaison,[2] P. Minges[3] tenent **etiam aliquam conclusionem theologicam seu aliquid tantum virtualiter implicite revelatum, eo ipso quod a magisterio infallibili imponatur assensu irrevocabili evadere veritatem fide divina credendam.** Hisce theologis consentit Wiederkehr,[4] qui

---

[1] La evolution homogenea del dogma Catolico. Madrid 1923, „La Ciencia Tom. nis. 129, 157, 175, 295 sqq, 318 sqq.

[2] Rev. prat. d'Apol. 6 (1905) 895 sqq.

[3] **„Non autem dogma adest, si conclusio theologica tantum virtualiter, mediate, plus minusve obscure in alia veritate includitur ita, ut opus sit argumentatione propria ad cognoscendam eam veritatem, quæ in altera includitur.** E. c. Revelata est propositio: Anima est spiritualis; ex spiritualitate animæ deduci potest eam esse ingenerabilem et solum a Deo ipso immediate produci posse. Attamen hæc conclusio eget vera ratiocinatione, non sequitur eo ipso ex consideratione termini ‚spiritus'. Quare hæc veritas non est dogma. Nam nititur etiam ratiocinio humano fallibili, quare non est infallibilis conclusio. Verumtamen eiusmodi conclusio per propositionem ecclesiasticam potest fieri dogma vel saltem veritas catholica. Ita dogma factum est propositio, Mariam esse immaculatam conceptam, etsi nonnisi virtualiter revelata est". Comp. Theol. Dogm. Gen. ed. sec. Ratisbonæ 1923, Kösel-Pustet. p. 316 n. 464; idem tenet clarissimus auctor: Zts. f. kath. Theol. 78 (1925) 551 sqq.

[4] Auctor laudatus citat **et sua facit** quæ in hac re tenet Marin-Sola: „Ohne Einschränkung stellen wir uns zu den Ausführungen, welche der Auktor (Marin-Sola in „La vraie et la fausse virtualité du donné révélé p. 19) in folgenden Anmerkungen darlegt:

„Es ist jedoch zu bemerken, daß vor der Erklärung durch die Kirche diese (theologischen) Konklusionen oder Entwicklungen des Offenbarungsinhaltes stets menschliche und fehlbare Entwicklungen sind. Es ist daher unmöglich, daß sie formell göttliche Glaubenssache seien. Daher hat die thomistische Schule — die Salmanticenser ausgenommen — stets behauptet, daß keine wahre theologische Konklusion formell göttliche Glaubenssache sein könne vor der Erklärung (durch die Kirche): selbst jene nicht, welche aus zwei geoffenbarten Prämissen abgeleitet wurde. Wenn also Gott uns mit dem Offenbarungsinhalte nicht zugleich eine göttliche Autorität gegeben hätte, um denselben aufzuschließen (nämlich die Kirche), so könnte niemals eine theologische Konklusion göttliche Glaubenssache werden. Dann wäre keine dogmatische Entwicklung möglich, wir hätten nur einen theologischen Fortschritt.

Aber Gott hat uns die Kirche gegeben mit wahrhaft göttlicher Autorität, nicht nur um das, was objektiv im Glaubensinhalt gegeben ist, zu bewahren, sondern auch um es zu entwickeln, unter der Voraussetzung, daß dies geschehen könne ohne neue Offenbarung. Die Definition der Kirche wandelt also nicht das, was nicht geoffenbart ist in geoffenbarte Wahr-

tamen monet propositionem aliquam non definiri, quia sit **conclusio,** sed quia communis fides pastoris et gregis sit, res fidei traditione accepta.

Alii autem theologi cum Wirceburgensibus,[1] Billot,[2] Pesch,[3] ut iterum paucos tantum nominemus, tenent nihil tamquam dogma definiri nec fide divina credi posse, nisi vel formaliter explicite vel saltem formaliter implicite in deposito ab Apostolis Ecclesiæ tradito contineatur.

Sed etiamsi quis **priori** sententiæ accedit, quoad quæstionem nostram hæc perpendenda remanent, **si quis prætendit obiectum cultus publici eo ipso evadere obiectum fidei:**

I. Semper ab eius patronis supponitur ad hoc ut quid evadat obiectum **fidei divinæ** rem ab Ecclesia imponi assensu irrevocabili, proinde infallibiliter. **Unde constat Assumptionem tali modo proponi?** Nequis recurrere, ut evincas Ecclesiam infallibiliter tradere hanc doctrinam fidelibus ad censuram communi calculo positam iuxta quam saltem temerarium esset hanc gloriam Virginis negare. Propositio enim temeraria dicitur illa, quæ **sine sufficienti fundamento** a doctrina theologica in Ecclesia vere communi recedit et nota temeritatis præcise in eo

---

heit — sondern sie wandelt die menschliche Entwicklung der Theologie in göttliche Entwicklung — in Glauben." . . .

„Die Entwicklung, welche durch das eigene Schlußverfahren der Theologen sich vollzieht, so evident und sicher dieses sein mag — ob es nun auf einer oder zwei geoffenbarten Prämissen beruhe, — wird immer eine theologische, wissenschaftliche, menschliche Entwicklung bleiben: keineswegs göttliche Glaubenssache, solange sie nicht durch das feierliche oder ordentliche Lehramt der Kirche entschieden worden ist." . . .

Erst wenn zur theologischen Entwicklung die dogmatische hinzukommt, sind wir auf Glaubensgebiet! Die dogmatische Entwicklung ist jedoch nicht bloß die „definierte theologische Entwicklung". Die dogmatische Entwicklung greift nicht zurück auf die theologische, sondern auf die Tradition. Eine feierliche Dogmatisation ist nicht die Anerkennung eines Syllogismus, sondern die feierliche Anerkennung eines bereits vorhandenen Glaubens." Die leibliche Aufnahme der allerseligsten Jungfrau etc. a. l. p. 58 sq.

[1] De Virtutibus theologicis. Disp. II c. I a. 3 n. 71. Parisiis 1880, Berche et Tralin. t. VIII p. 63.

[2] De Virtutibus Infusis th. XII. Romæ 1901, Typ. Pol. p. 247 sqq.

[3] Præl. Dogm. Prop. XV n. 258 Friburgi 1910, Herder. t. VIII³ p. 118. n. 258.

repperitur, quod gravis auctoritas in rebus fidei et morum parvi habetur. **Sed hæc censura nondum enuntiat oppositam doctrinam infallibiliter esse falsam.**

II. Insuper nonne Ecclesia etiam infallibilis est in conclusionibus ex veritatibus revelatis deducendis et quidem etiam ubi agitur **de deductione stricte dicta.** Jam age, motivum fidei divinæ nequit esse **nisi auctoritas ipsius Dei loquentis.** Deo loquenti ea tantum credere possumus, **quæ Deus ipse dixit,** nequaquam illa, quæ Deus ipse locutus non est, sed alius, nempe Ecclesia, quamvis a Deo infallibilitate prædita, ex revelatis a Deo deducit. Ergo exinde, quod Ecclesia, etsi infallibiliter Assumptionem Virginis proponeret, nondum sequeretur ipsam esse obiectum fidei **divinæ.** Et certe utcumque sententiam oppositam tenes, fateri cogeris — rem remanere disputatam et controversam inter ipsos theologos catholicos. Ut ergo doctrina evectionis Virginis ad gloriam cœlestem quoad corpus tamquam **dogma** certo definiri possit, demonstrare oportet ipsam **antecedenter** ad proclamationem Ecclesiæ in verbo Dei revelato **formaliter** contineri.

III. Quoniam ergo omnes modi istam definibilitatem probandi antecedenter signati sat certi saltem non apparent, per aliam viam incedimus ut decus hoc Matri divinæ tamquam revelatum vindicemus. Accedimus illis theologis, qui ad hoc ut quid definibile sit ut dogma, requirunt, ut **antecedenter ad definitionem** in revelatione **formaliter** contineatur, etsi **implicite tantum.**

Revelatio autem **formalis implicita** alicuius veritatis habetur eo, quod includitur in quibusdam principiis revelatis, **ita ut sola resolutione terminorum vel analysi horum principiorum depromi possit absque deductione.** Ecclesiæ tradita est hæc veritas ab Apostolis ut involuta in istis principiis, quorum mera analysi hauriri poterat et sic Ecclesia inde ab ætate Apostolorum possidebat hanc veritatem **obiective** in istis principiis. Ergo non requiritur ut Apostoli explicite hanc veritatem tradiderint. Item fieri poterat, ut in Ecclesia huius rei **in se nulla conscientia exstaret.**

Propterea talis veritas **in se** ignorari, immo negari, impugnari poterat. Nonne evidenter hæc omnia acciderunt quoad Immaculatam Conceptionem? Nequaquam exordimur ab illo supposito, quod Apostoli explicite hanc doctrinam tradere debuerint; neque ut fundamento innitimur fidei Assumptionis nunc in Ecclesia vigenti. **Ab hisce ut basi constructionis præscindimus. Positive unice** insistimus in principiis revelatis, quæ gloriam Virginis quoad corpus ita includunt, **ut absque deductione mera analysi** inde desumatur. Iterum, iterumque monemus **ut formaliter revelatum** nos **unice** tueri corpus Virginis unitum esse animæ gloriosæ.

d. Difficultates specietenus obstantes quominus hæc veritas formaliter revelata censeatur:

Antequam autem positivam argumentationem exstruere possumus occurrere oportet illis, quæ a limine privilegium divinæ Matris excludere minantur.

Quid enim dicemus, cum S. Epiphanius, natus in Palæstina, proinde omnium traditionum peritissimus ita scribit: „Quippe haud scio an de sanctissima illa ac beatissima Virgine obscura quædam inveniri vestigia possint, quæ incertam nobis illius mortis fidem faciant... Neque aut immortalem perseverasse definio, aut utrum mortua sit confirmare possum" et paulo inferius „Sive igitur mortua sit, nescimus, sive consepulta sit..."[1] et alibi: „nam de illius exitu nihil certo constat."

Sed facile respondetur, hisce S. Epiphanium minime contrariari illis, quæ hic defenduntur. Magnificentissime enim haberi potest revelatio de gloria corporis Beatissimæ Virginis, quin quidquam constiterit **de exitu illius.** Superius iam sæpius diximus revelationem de gloria corporis Mariæ stare independenter ab hoc, utrum mortua sit, an prout hic Sanctus Episcopus tamquam possibile admittit viva in paradisum translata sit. Immo ex verbis

[1] Hær. 78 nis 2 et 24 MG 42, 716, 735; cf. quoad Epiphanium: Wiederkehr. Die leibliche Aufnahme d. allers. Jungfrau Maria in den Himmel, a. l. p. 18 sqq.

S. Epiphanii constat mortem Virginis non admitti ex causa universali mortis, secus dubium, an forsitan in Paradisum evecta sit, quin mortem gustaverit occurrere ne quidem potuisset.

Crescit tamen difficultas ex Epiphanio deducta, eo, quod in suo „Ancoratus" cap. 98[1] præter Christum duos tantummodo novit in corpore viventes in altera vita Enoch et Eliam.

Sed minime ita enuntiant verba Epiphanii; minime loquitur **exclusive** sed tantum **positive** adducit istos duos tamquam in altera vita viventes in corporibus suis ad redarguendos adversarios, quorum doctrinam ita describit in cap. 87 col. 178: „Iam vero, quod ad eos attinet qui se Christianos profitentur et Origenem secuti, mortuorum quidem resurrectionem admittunt cum carnis nostræ, tum sanctissimi illius Domini corporis quod e Maria susceptum est; sed **eandem** nihilominus carnem excitari non putant, sed **aliam** a Deo in eius locum substitui: nonne hanc ipsam opinionem ceteras omnes impietate superare ... putabimus."

Contra hos corruptores et falsificatores veræ resurrectionis **in eadem carne ac in terra gestavimus** argumentum desumit ex Enoch et Elia, qui cum corpore et anima vivi translati sunt, proinde in altera vita **eandem** carnem gestant. Enoch translatus est totus, et ad hanc diem mortem non vidit, ut in duobus vivis corporibus perfecta nobis resurrectio demonstretur (secundum **eandem** carnem) „Ac ne quis in duobus velut resurrectionis nostræ primogenitis notas ac formas ignoret: Enoch in præputio vixit; nec istud quominus resurgeret obstitit, aut quominus vitam adhuc suam in corpore sustentaret; Elias vero e circumcisione fuit, ne resurrectio his aut illis nominatim adscribatur, sed communis ac generalis habeatur.

Elias virginitatem coluit, ut eximia illa virginitatis dignitas immortalitatem et incorruptum corporis statum mundo prædicaret. Verum ne virginitati soli propter ex-

[1] MG 43, 194 sq.

cellentiam concessa resurrectio, vel integri corporis conservatio videretur, Enoch virgo non fuit, sed castus et temperans, idemque liberos genuit. Ergo illi duo inter vivos censentur, et ad spem nostram confirmandam cum corpore animaque perseverant."

Epiphanius **positive** illos duos in corpore viventes recenset, de quibus loquitur S. Scriptura et ex conditionibus in utroque diversis probare intendit universalitatem resurrectionis in eadem carne, qua induti sumus hic in terra. At ne verbulum quidem quo indicaretur **alios excludi.**

Etiam S. Hieronymum Assumptionem Mariæ penitus ignorasse illiusque resurrectionem nonnisi novissimo die exspectandam esse docuisse volunt. Ita Niessen.[1] Etiam S. Ephræm, cultus Beatissimæ Virginis zelantissimum, numquam commemorare traditionem exstantem de resurrectione et assumptione quoad corpus unde sequitur sæculo IV. Edessæ et Nisibi talem traditionem non exstitisse;[2] insuper Epiphanius ex S. Athanasio citat: „Cur

[1] Postquam clarissimus auctor errorem Origenis exposuit ita pergit: „Gegen diese origenistische Auflösung des Leibes in das Phantom der Urmaterie und gegen diese Auferstehung in einem Körper, der weder Leib noch Körper genannt werden kann, betont Hieronymus mit aller Schärfe, daß wir nach der Lehre der Hl. Schrift und der Kirche in diesem Fleische auferstehen, mit denselben Gliedern und in demselben Geschlechte. . . . .

In der ganzen Diskussion ist die hl. Jungfrau weder vom hl. Hieronymus noch sonst von jemand als Beispiel für die Wiederbelebung des individuellen Leibes genannt worden, obwohl gerade sie im Kampfe gegen die Origenisten und besonders gegen die origenistischen Jerusalemer an erster Stelle genannt werden mußte, wenn es in Jerusalem irgendwelche Erinnerungen an eine leibliche assumptio Marias in Jerusalem nach Art der apokryphen Berichte gab." Die Mariologie des hl. Hieronymus, ihre Quellen und ihre Kritik. Münster 1913, Aschendorff. p. 223.

Citantur deinde verba Hieronymi in apologia adversus libros Rufini l. II n. 5 ML 23,427: „Quæro, quod Origenes negat, utrum in eodem sexu, quo mortua sunt corpora, suscitentur: **et Maria Maria, Joannes resurgat Joannes . . .**" et post pauca in fine concluditur: „Hieraus ergibt sich die unabweisbare Schlußfolgerung: Weder eine Auferweckung noch weniger eine leibliche Aufnahme in den Himmel, die sich zu Jerusalem vollzogen hätte, ist dem hl. Hieronymus trotz seines vierunddreißigjährigen Aufenthaltes in Bethlehem bekannt; **er erwartet ihre Auferstehung erst von der Zukunft.**" Ibidem a. l. p. 224.

[2] „Auch bezüglich des hl. Ephræm († 373) liegt eine ähnliche Schlußfolgerung nahe. Livius (Die allerseligste Jungfrau bei den Vätern der ersten

cum eodem modo se in illum infuderit, quo in priores omnes sanctos descenderat, reliqui omnes nondum post mortem surrexerunt; solus ille vero, qui e Maria genitus est, tertia die resurrexit?"[1] Deinde S. Augustinus[2] et S. Ambrosius[3] clarissimis verbis dicunt solum Christum resurrectione **perpetua** resurrexisse. Quomodo demum cum traditione de resurrectione et assumptione componitur, quod S. Pulcheria fertur anno 451 a patriarcha Hierosolymitano petiisse corpus sanctissimum Virginis tamquam reliquiam pretiosissimam pro ecclesia in Blachernis Constantinopolitana[4] et quod in Menologio imperatoris Basilii e sæculo IX. legitur: *„Ἀνοίξας γὰρ ὁ Θωμᾶς τὸν τάφον πρὸς τὸ προσκυνῆσαι τὸ λείψανον (ὕστερον γὰρ ἦλθεν), οὐχ εὗρεν αὐτό· Μετέθηκε γὰρ αὐτὸ ὁ Θεὸς ἐν τόπῳ, ᾧ οἶδεν αὐτός· Εὑρέθησαν δὲ μόναι αἱ σινδόνες."*[5]

Hisce annumerari posset, quod S. Joannes Archiepiscopus Thessalonicensis († circa 630), qui primus festum Dormitionis Deiparæ in suam diœcesim introduxit de **Assumptione Virginis silet,** prout observat Iugie: „L'auteur n'a eu en vue que la Dormition proprement dite et il est clair que pour lui l'objet de la fête qu'il est le premier à établir dans son diocèse, est de commémorer cette dormition. Ce qui est pour nous le côté capital du mystère de l'Assomption, c'est-à-dire la glorification en corps et en âme et l'entrée au ciel de la Mère de Dieu, est en dehors de son horizon. Il y croyait sans doute; mais il ne l'a dit nulle part d'une manière claire."[6]

---

sechs Jahrhunderte II, 223 f.) bemerkt zutreffend: „Ebensowenig können wir annehmen, daß an Mariä Aufnahme in den Himmel mit Leib und Seele zur Zeit des hl. Ephræm, d. i. im 4. Jahrhundert, zu Edessa und Nisibis allgemein geglaubt wurde; andernfalls wäre es ja kaum begreiflich, warum jener warme Verehrer und Lobredner der Gottesmutter, soweit uns bekannt, in keiner seiner Schriften ihrer Krönung Erwähnung tut." Ita Ernst. Die leibliche Himmelfahrt Mariä historisch-dogmatisch nach ihrer Definierbarkeit beleuchtet. Regensburg 1921, Manz. p. 12.

[1] MG. 42, 659.
[2] Enarratio in Ps. 126 n. 7 ML 36, 1673.
[3] De interpellatione Job et David l. I n. 25 ML 14, 807.
[4] Ita Ernst. Die leibliche Himmelfahrt . . . a. l. p. 17.
[5] MG 117, 585.
[6] Graffin-Nau Patrologie Orient. t. 19 Hom. Mariales Byz. X. S. Jean Archevêque de Thessalonique. p. 370.

Ut hisce obiectionibus responderent inter alia defensores privilegii Marialis etiam recurrerunt ad Providentiam divinam. Ita Wiederkehr: „Trotz diesem von Gott gewolltem Dunkel, in welches das Lebensende Mariens noch vorderhand gehüllt sein sollte, kann es aber keinem Zweifel unterliegen, daß die Maria überlebenden Apostel, und besonders der heilige Johannes, sich um das Grab Mariens bekümmerten und von dem Verschwinden, d. h. von der Aufnahme ihres Leibes, unterrichtet waren. Aber wenn es notwendig war, daß Marias Lebensende und Grab und ihre Verherrlichung den ersten Zeiten noch verhüllt sein sollte — wie ja auch ihre persönlichen Gnadenvorzüge, so die Unbefleckte Empfängnis, erst später klar von der Kirche gelehrt wurden —, so ist damit zugleich auch eingeschlossen, daß die Apostel wohl nie über das Thema „Mariä Himmelfahrt" gepredigt haben! Gewiß ebensowenig als über das Thema: „Unbefleckte Empfängnis"; es wären ja sonst alle Verhüllungs- und Vorsichtsmaßregeln illusorisch gewesen! Immerhin mag die Kunde von der Aufnahme Mariens in der Form von privater, vereinzelter apostolischer Mitteilung beschränkte Lokaltraditionen veranlaßt haben, die sich aber bald mit legendenhaften Zutaten vermischten."[1]

Sed quidquid id est, hæc omnia, etiam ea, quæ proposuerunt Ernst, Niessen aliique superius laudati auctores, difficultates insolubiles tamdiu tantum tibi apparebunt, quamdiu: Primo **in obiecto,** quod tamquam **formaliter revelatum** propugnare intendis includuntur mors, resurrectio et assumptio, **quæ modo sensibiliter perceptibili et propterea methodo historica indaganda** processissent. Secundo si revelatio aliqua publica Apostolis communicata huius veritatis in se et traditio explicita statuitur, ita ut Ecclesia huius doctrinæ **in se** sibi conscia fuisset.

Sed utrumque nos non defendimus et sic saltem pro nobis suppositum istarum difficultatum eliminatur. Primo enim iterum iterumque perpendendum est, posse haberi revelationem unice concernentem hanc veritatem gloriæ

[1] Die leibl. Aufn. a. l. p. 28 sq.

Mariæ in cœlis quoad corpus et animam et præscindentem a morte, resurrectione, assumptione sensibus perceptibili modo facta.

Secundo defenditur tantum revelatio huius gloriæ etiam quoad corpus formalis **implicita,** prout superius expositum est, ita ut doctrina per aliquod tempus potuerit penitus ignorari, immo impugnari.

Quæ si admittuntur nihil mirum, quod de morte, resurrectione, assumptione **ut sensibili in aera elevatione** traditio non exstiterit. Nam de morte et resurrectione poterat non adesse revelatio. Assumptio ita fieri poterat, ut sensibus minime perciperetur. Propterea minime etiam fas est insistere in hoc, quod in istis locis præsentia et obitu Virginis consecratis nulla horum memoria exstiterit neque horum locorum et traditionum peritissimi quid de istis sciverint. Nihil mirum etiam quod S. Hieronymus luctans contra Origenistas numquam ad resurrectionem et assumptionem Virginis appellaverit, e contra recurrerit ad resurrectionem Domini, ad assumptionem Henoch et Eliæ aliaque facta notissima. Contra istos hæreticos sane afferre oportebat facta **universaliter nota** palpabilia veritatesque ab omnibus agnitas. Idcirco Hieronymus poterat bene sustinere principia in quibus unio corporis divinæ Matris cum eiusdem anima sanctissima formaliter implicite continetur, quin ipse hoc privilegium sic involvi perspiceret. Sed etiamsi perspexisset, iam huic veritati contra Origenistas inniti non potuisset, cum ipsius conscientia **saltem in Ecclesia universaliter non exstaret.**

Quodsi S. Augustinus in loco superius citato ait: „Unus resurrexit, iam non moriturus. Resurrexit Lazarus (Io. 11, 44) sed moriturus; resurrexit filia archisynagogi (Mt. 11, 25) sed moritura; resurrexit filius viduæ (Lc. 7, 15), sed moriturus — resurrexit Christus, non moriturus — talem resurrectionem spera" — Christus consideratur tamquam „**primitiæ** dormientium" de quo Apostolus ait: „Quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur." (1 Cor.

15, 22). Nempe Christus hic sumitur **ut caput,** ad cuius normam et similitudinem erit resurrectio corporis nostri, cui proinde resurrectio perpetua **primo** competebat et **de iure.** Ita sane resurrectio **soli** Christo contigit, dum in ceteris omnibus etiam in Virgine gloria corporis anticipata est **privilegium.** In textu deinde S. Ambrosii obiecto Christus **solus** sumitur in oppositione ad corpus mysticum, quod in Christo capite quidem promissionem et pignus futuræ resurrectionis accepit, sed nondum ipsam resurrectionem assecutum est.[1] Hic eadem distinctio afferenda est quæ ab omnibus theologis catholicis proponitur in materia Immaculatæ Conceptionis, cum in textibus Patrum occurrit dictio „Solum Christum a peccato originali immunem."

Sed dato et non concesso S. Ambrosium et S. Augustinum resurrectionem et Assumptionem Virginis exclusisse solummodo efficeretur ipsos traditionem **explicitam** non novisse et talem in suis saltem Ecclesiis non exstitisse. Nos traditioni explicitæ nequaquam innitimur.

Quæ demum narrantur de S. Pulcheria,[2] quæ desumuntur ex Menologio Basilii imperatoris unice difficultatem creant, si quis admittat traditionem **explicitam. Sed traditioni et revelationi formaliter implicitæ hæc omnia non contrariantur,** sicut etiam difficultatem nullam facesseret, si doctrina gloriosæ Assumptionis explicite impugnata

---

[1] Nisi textus ita exponitur, iam condemnantur omnes illi interpretes, qui admittunt sanctos tempore mortis Domini resuscitatos in perpetuum resurrexisse.

[2] Recentiores Critici istam relationem de petitione S. Pulcheriæ Imperatricis tamquam non genuinam reiciunt. „Es sei hier darauf aufmerksam gemacht, daß der vielfach in unserer Frage zitierte dem hl. Hieronymus zugeschriebene Brief (oder Rede) an Paula und Eustachium (Ep. XI oder Homilia „Cogitis me" de Assumptione B. M. V. bei Migne 30,122 ff.) unecht ist (vgl. Z K Th XXII (1898) 488. Ebenso ist der ganze Bericht über die Kaiserin Pulcheria, die Reliquien der Gottesmutter erbittet, und über den Patriarchen Juvenal, der der Kaiserin antwortet, das Grab Mariä sei leer, wie er bei Johannes Damascenus († 754) Hom. 2 in Dormitionem Beatæ Mariæ c. 18 zu finden ist, als ein in die Homilie später eingeschobenes unechtes Stück nachgewiesen (vgl. Z K Th XXII (1898) 481 ff. auch Bardenhewer, Patrologie 508 f." Schuster-Holzammer, Handb. zur Bibl. Gesch. 8. Aufl. bearb. von Dr. J. Schäfer, Freiburg 1926, Herder. n. 536[b] Anm. 2.

esset, pariter ac revelatio formaliter implicita Immaculatæ Conceptionis minime concutitur apertis impugnationibus[1] quæ olim contra hanc veritatem factæ sunt.

Item thesi hic propugnatæ minime obstant ea, quæ disserit **Baumstark:** „Von einer leiblichen Himmelfahrt der allerseligsten Jungfrau hat das christliche ‚Neue Jerusalem' der Konstantinischen Epoche nichts gewußt. Ebensowenig hat es aber eine lokale Tradition bezüglich des Mariengrabes besessen. Das Fehlen eines solchen hat man sich nach Analogie des biblischen Berichtes über Moses durch die Annahme einer Bestattung von Gottes Hand an einem Orte, der Gottes Geheimnis ist, zu erklären gesucht."[2] Huius rei testis gravissimus adducitur Jaqub Sarugensis qui nondum novit sepulchrum vacuum ut testem Assumptionis corporis Virginis in cœlum. Id unum habetur sepulchrum Mariæ ignotum fuisse sicut sepulchrum Moysis.[3] Etiam Ioannes de Birta de tali assumptione quoad corpus neque verbulum profert. „Ein anderer (Zeuge des Assumptionsglaubens im eigentlichen Syrien) ist ein Johannes Bischof von Birtha, dessen in siebensilbigem Metrum abgefaßte Dichtung ‚Über das Abscheiden der Gottesgebärerin Jungfrau Maria in dem Homiliarium zu Jerusalem' auf diejenige Jaqub's folgte. Die glorreiche

---

[1] Eodem modo expediuntur quæ Adamnanus refert secundum narrationem Arculfi episcopi Franci, qui loca sancta visitaverat: De ecclesia Sanctæ Mariæ in valle Josaphat fabricata, in qua monumentum eius habetur. Sanctorum locorum sedulus frequentator, sanctus Arculfus sanctæ Mariæ ecclesiam frequentabat, cuius dupliciter fabricatæ inferior pars sub lapideo tabulato mirabili rotunda structura est fabricata, in cuius orientali parte altarium habetur ad dextram vero eius partem Sanctæ Mariæ saxeum inest vacuum sepulchrum, in quo aliquando sepulta pausavit. Sed de eodem sepulchro quomodo vel quo tempore aut a quibus personis sanctum corpusculum eius sit sublatum, vel quo loco resurrectionem exspectat, nullus ut fertur, pro certo scire potest. . . .

. . . Ita nobis noster frater Arculfus pronuntiavit, sanctorum visitator locorum, qui hæc, quæ nos describimus, propriis conspexit oculis." De loc. sanct. I. c. 12. Corp. Script. Eccl. 39, 240 sq. Hæc omnia forsitan congeri possunt ad demonstrandum nullam adfuisse traditionem explicitam, sed minime quid efficiunt contra revelationem **formaliter implicitam.**

[2] Baumstark, „Die leibliche Himmelfahrt der allerseligsten Jungfrau und die Lokaltradition von Jerusalem" Oriens. Christ. 4 (1904) 387.

[3] Ibid. p. 374.

Aufnahme der Seele Marias in das Himmlische Reich, das sie als seine Königin begrüßte, steht auch hier durchaus im Vordergrund. Erst beinahe nachträglich kommt der Dichter auf die Unmöglichkeit zu sprechen, daß ihr reinster Leib der Verwesung anheimgefallen sei. Dies betont er nun allerdings mit großem Nachdruck, und gleichwohl redet selbst er von einer leiblichen Himmelfahrt mit keinem Worte."[1] Insuper in aliquo poemate Graeco-Byzantino ita Maria introducitur loquens: *„Ἀπόστολοι ἐκ περάτων συναθροισθέντες ἐνθάδε Γεθσημανῆ τῷ χωρίῳ κηδεύσατε μου τὸ σῶμα· καὶ σὺ υἱὲ καὶ θεέ μου παραλαβέ μου τὸ πνεῦμα."*[2]

At hæc omnia difficultatem et quidem maximam creare possunt, si quis traditionem de Assumptione Virginis ita concipit, ut communicatio ad Apostolos facta sit vel per revelationem, quam deinde fidelibus **explicite** traderent vel per illam dispositionem divinam, ut assisterent tamquam testes oculati et iterum quæ viderant fidelibus communicarent. Quomodo enim traditio tam veneranda **præcise in illo loco,** ubi transitus Virginis acciderat non fidelissime conservari potuisset?

Sed hæc omnia nullatenus obstant veritati **unice** in hisce paginis propugnatæ **ut revelatæ i. e. soli evectioni corporis Virginis ad gloriam cœlestem** et quidem revelatæ formaliter implicite. Nam hæc evectio saltem ita fieri **potuit,** ut sensibus nullo modo perceptibilis esset nec ullo modo sensibiliter manifestaretur. Divina autem Providentia disposuit ut fidelibus omnium sæculorum communicaretur ut involuta in principiis revelatis.

Hæc magis adhuc clarescent, cum ad trutinam revocaverimus alia, quæ in dissertatione Baumstark habentur: „Besonnene Dogmatische Lehrbücher lassen zwar schon heute keinen Zweifel mehr darüber, daß in der ganzen Frage eine positive Entscheidung sich mehr auf die eigentlichen theologischen Erwägungen als auf einen historischen Traditionsbeweis würde gründen müssen." Sed

[1] Ibid. p. 389.
[2] Cit. ibid. p. 376.

deinde pergit: „Aber eine Dogmatische Entscheidung geradezu gegen historische Tatsachen ist doch auch wieder undenkbar."[1]

Hæc ultima verba aliquid adnotare cogunt. Nimirum merito quæritur, quænam intelligantur ista facta historica (Historische Tatsachen), quæ decisioni dogmaticæ innixæ revelationi formaliter implicitæ obstarent. Ultro concedimus non posse vigere contradictionem inter veritatem revelatam et aliquid historica methodo tamquam certum probatum, pariter ac profecto talis contradictio admitti nequit inter veritatem revelatam et quid philosophica certitudine demonstratum.

At perpendere oportet in illis, quæ hic tamquam facta historica obiciuntur aliquid gratis supponi, quod non necessario locum habuit i. e. resurrectionem et assumptionem ita peractam esse, ut sensibus perciperetur vel Beatissimam Virginem post resurrectionem ita apparuisse, ut testes huius rei exstarent.[2] Quamvis enim resurrectio Virginis ad vitam immortalem et gloriosam ita fieri **potuerit,** ut sensibiliter manifestata sit et historica methodo certo de ipsa constet, duo tamen monenda remanent. Primo resurrectionem et transitum ad regna cœlestia ita peragi **potuisse,** ut sensibus minime perciperetur, proinde historice in ipsa inquiri non possit. Secundo fruitio gloriæ cœlestis ex parte corporis seu quoad corpus in se minime sensibus percipi propterea historice minime indagari

[1] Baumstark: Die leibliche Himmelfahrt . . . p. 371-372.

[2] Certissime resurrectio et assumptio in cœlum potuisset ita peragi ut a testibus percipi potuisset, æque ac de resurrectione et ascensione Domini constet ex testimonio discipulorum. Quare omnino reicienda sunt, quæ asserere ausus est Loisy: „Le Christ resuscité n'appartient plus à l'ordre de la vie présente, qui est celui de l'expérience sensible, et par conséquent la resurrection n' est pas un fait qui ait pu être constaté directement et formellement. On peut vérifier la guérison d'un malade, et l'on pourrait le cas échéant controler le retour d'un mort à la vie naturelle; mais l'entrée d'un mort dans la vie immortelle se dérobe à l'observation." L'Evangile et l'Eglise p. 74. Quamvis enim mortuus resuscitatus sit ad vitam immortalem et gloriosam, nihilominus remanet corpus sensibus perceptibile et agere potest modo sensibus perceptibili. Quare ex effectibus certo constare potest, aliquem mortuum rediisse ad vitam immortalem prout quoad Christum Dominum omnes Apologetæ Catholici defendunt et docet Ecclesia Catholica.

posse. Potuit autem Deus ipsam nobis revelare et nos defendimus Deum nobis ipsam revelasse formaliter implicite tradendo Ecclesiæ illa principia, in quibus formaliter includitur.

Etsi igitur concedamus silentium fontium historicorum suppositis certis conditionibus evadere posse verum argumentum, tamen non evertit id, quod hic propugnatur.

At inquies: Nonne si vacuum et apertum inventum fuisset sepulchrum, hoc latere diu non potuisset Apostolos et fideles quippe Virgini tantopere devotis, proinde in illis præsertim locis, ubi Maria vixit et mortua est traditio Assumptionis exstare debuisset.

Manifeste et aperte qui in hac obiectione insistit impetere debet non tantum gloriam Mariæ quoad corpus **contineri in revelatione,** sed etiam negare resurrectionem **factam esse;** consequenter talis quis prætendere deberet Matrem Dei in sepulchro permansisse. Quis catholicus hoc asserere auderet?

Insuper sanctissimum corpus (ex sepulchro) disparere potuit, quin sepulchrum ullo modo aperiretur vel violaretur. Sicut enim sacrosanctum corpus Christi redivivum et gloriosum testibus sanctis Patribus e sepulchro clauso prodiit, ita enim convenienter Matri Dei obtigit. Neve replices tunc novum miraculum postulari. Cum enim corpus uniendum esset animæ gloriosæ Virginis profecto connaturaliter, — supposita resuscitatione, resurgebat ornatum dotibus corporis gloriosi. In tali statu autem vi dotis subtilitatis compenetratio stricte dicta minime censenda est quid extraordinarium. Intervenire quidem debuit Omnipotentia divina; at huius interventus supposito illo statu eodem modo postulatur ac ex. gr. in statu integritatis expostulata fuisset continua providentia specialis ad explicandam impassibilitatem corporis Protoparentum.

Neque mos sepeliendi mortuos apud Hebræos usitatus cogit nos admittere amotionem Ss. corporis Apostolis fidelibusque innotuisse »si stamus illis« quæ harum rerum peritissimi tradunt. Ita v. gr. Schegg: „Zu Begräbnisstätten erwählte man gerne natürliche oder künstlich zu-

bereitete Grotten oder Höhlen, die von Bäumen umschattet waren, und errichtete in ihnen entweder vertikal ausgegrabene Senkgräber, oder horizontal angelegte Schiebgräber, ähnlich den in Klostergrüften angelegten Gräbern, oder Bankgräber und Troggräber, von denen jene in einer etwas vom Boden erhabenen Bank bestanden, auf welche die Leiche gestellt wurde, diese unten halbrund in Stein gehauen waren, um die Leichen, die in sie eingelegt wurden, zu fassen, weswegen man sie auch als Einlege- oder Längengräber bezeichnet.

Vor den Totengräbern war nicht selten eine Vorkammer hergerichtet und außen ein freier Hofraum. Senkgräber wurden oben, Schiebgräber an ihrer Öffnung mit Steinen geschlossen, wie der Eingang zur Gruft und Vorkammer zum Schutz gegen wilde Tiere und ruchlose Menschen."[1]

Item Kortleitner: „Erant autem Hebræorum sepulchra diversi generis nam corpora aut tumulis inferebantur (»Senkgräber«) aut in foramina parietum excavata, quæ circa 1,8m longa, 0,45m lata erant, immitebantur (»Schiebgräber«) aut in alveis circa 0,45 m latis et 0,75 m altis ponebantur (»Trog- oder Einleggräber«) aut in truncum lapidis 0,60 m fere altum qui plerumque camera contectus erat, imponebantur (»Bank- oder Aufleggräber«) ... Præterea Hebræorum sepulchra erant aut privata (singulari cuidam personæ vel familiæ reservata) ... aut publica (velut plebeorum ... certo generi hominum destinata ...).[2]

Apostoli et discipuli Jesu, quos tanta caritas animabat, ut paganorum admirationem sibi conciliaret, absque omni prorsus dubio sanctissimum Mariæ corpus venerabundi summa qua poterant honestate sepelierunt, proinde in loculo ipsi Matri Dei singulariter reservato, quem omni cura claudebant atque muniebant, ne manus sacrilega sanctissimas reliquias violaret. Quare facile explicatur

[1] Bbl. Archäologie. Freiburg 1887, Herder p. 633.
[2] Archæologia Biblica. Œniponte 1917, Wagner p. 687-688.

corpus sanctissimum e sanctuario disparere potuisse, quin quid cuiquam innotesceret. Neque abs re est, quod post doctissimum Thomassinum monet Turmel inquiens specialem providentiam ita primis sæculis cultum Virginis cohibuisse: „Comme dans les premiers siècles, . . . on avait sujet de craindre le renouvellement de l'idolatrie, on se ménageait sur les honneurs de la Sainte Vierge, pour ne pas donner occasion de lui en rendre d'excessifs. Les paiens avaient adoré je ne sais combien de deèsses mères de faux dieux. Il ètait à craindre que l'on en vînt à adorer la Mère du véritable Dieu."[1]

Potuit ergo Deus providere, ut in exordiis Christianæ religionis resurrectio gloriosa Matris Dei lateret discipulos et interim formaliter implicite gloriam Virginis quoad corpus revelare, ut posterioribus ætatibus lux affulgeret.

Defendimus idcirco gloriam Divinæ Matris **quoad corpus** tamquam **formaliter implicite revelatam:**

I. In identitate victoriæ Mariæ cum victoria Christi de diabolo et morte;

II. In immunitate a corruptione sepulchri et permanentia in morte propter immaculatam Conceptionem;

III. In **incorruptibilitate omnimoda** prout traditione statuitur et immunitate a corruptione sepulchri et servitute mortis propter partum virginalem.

[1] Dict. de la Bible I, 1135.

B. Argumentatio nostra:

Argumentum Primum:

Associatio Deiparæ cum Christo in victoria de morte corporali arcet ab ipsa permanentiam in morte:

Patres Vaticanos sequentes **primo** argumentamur **ex identitate victoriæ Virginis cum illa reportata a divino suo semine de diabolo. Eædem inimicitiæ Mariæ vindicantur idemque plenissimus triumphus de serpente infernali, quæ Christo tribuuntur, ita ut solus titulus ea habendi differat. Victoria autem Christi etiam complectitur triumphum de morte corporis. Ergo etiam Maria de morte corporis triumphare debuit, id quod non verificaretur, si Maria cum corpore et anima in gloriam non introiisset.**

Identitatem vero victoriæ Mariæ cum triumpho Christi de hoste infernali et quidem tamquam **revelatam** desumimus:

A'. Ex declaratione Pii IX. in Bulla „Ineffabilis".

B'. Ex doctrina Patrum de recirculatione interveniente in opere Reparationis.

C'. Ex interpretatione ipsius oraculi Genesiaci.

Præmissa Maior: Victoria Mariæ identica victoriæ Redemptoris:

A) **Expositio Pontificia:** Audiamus imprimis summum fidei magistrum oraculum Geneseos exponentem: „Qua ennarrantes (Patres) verba, quibus Deus præparata renovandis mortalibus suæ pietatis remedia inter ipsa mundi primordia prænuntians; et deceptoris serpentis retudit audaciam et nostri generis spem mirifice erexit, inquiens: Inimicitias ponam inter te et

mulierem, et semen tuum et semen illius, docuere: divino hoc oraculo clare aperteque demonstratum fuisse misericordem humani generis Redemptorem, scilicet unigenitum Filium Christum Jesum, ac designatam beatissimam eius Matrem Virginem Mariam, ac simul ipsissimas utriusque contra diabolum inimicitias insigniter expressas. Quocirca sicut Christus Dei hominumque mediator, humana assumpta natura, delens quod adversus nos erat chirographum decreti, illud cruci triumphator affixit, sic sanctissima Virgo, arctissimo et indissolubili vinculo cum eo coniuncta, una cum illo et per illum, sempiternas contra venenosum serpentem inimicitias exercens **ac de ipso plenissime triumphans,** illius caput immaculato pede contrivit."

Hanc interpretationem Patrum Summus Pontifex approbat et suam facit,[1] nam hisce innixus ad definitionem procedere decrevit.[2]

Nequaquam illis, quæ hic a Summo Pontifice statuuntur satisfit, cum quis admittit in textu Geneseos mulierem non tantum litterali sensu designare Hevam, sed etiam inimicitias contra Satanam **denuntiatas** nullas esse nisi erectionem ipsius Hevæ contra diabolum. Quo in casu Maria eiusque inimicitiæ contra serpentem **ipsis verbis** S. Scripturæ non exprimerentur, sed **tantum e traditione** hauriremus Hevam typum gerere Mariæ et in antitypo Maria inimicitias contra serpentem **eminentiori modo verificari.** Tunc pro privilegio Mariæ non amplius ex S. Scriptura sed tantum e traditione arguere liceret. Id autem expositioni Pontificis non congruit. Explicitis enim et perspicuis verbis Bulla extollit „Divino hoc oraculo clare aperteque demonstratum fuisse ... Redemptorem ... ac designatam ... Mariam, **ac simul ipsissimas utriusque contra diabolum inimicitias insigniter expressas**" et immediate antea suas facit S. Pontifex interpretationes Patrum, qui **ipsis verbis divinitus prolatis** hæc designata viderunt. Ipsissimis ergo S. Scripturæ **verbis** inimicitiæ Christi eiusque Matris, tum utriusque plenissimus de Satana triumphus designantur. Quare expositio Protoevangelii in Bulla statuta **duplici** tantum

[1] Coll. Lac. t. 6 col. 839.
[2] Ibid. col. 841.

sensu intelligi potest: nempe vel **a)** Summus Pontifex oraculum Geneseos ita interpretatur, ut mulier sensu **litterali** designet Mariam et eo ipso inimicitiæ et contritio capitis intelligantur de Maria vel **b)** Mulier designat quidem immediate et litteraliter Hevam, sed inimicitiæ sunt illæ identicæ inimicitiis absolutis et victricibus Christi, ita ut hæ inimicitiæ nequeant verificari in Heva, **qua tali,** sed unice tribui possint protomatri **formaliter ut typo Mariæ** seu **Mariæ præfiguratæ.** Prior modus interpretandi profecto verbis Summi Pontificis maxime congruit. Nam saltem si dictiones Bullæ obvie sumuntur id enuntiant Divinum Redemptorem ipsius Matrem utriusque inimicitias **ipsis verbis** Geneseos exprimi. Sensus typicus autem non subest **verbis,** sed **personis vel rebus** per verba designatis. Sed ne argumentum videatur dependere a re inter ipsos interpretes Catholicos tam acriter disputata, tantum in eo vim facimus, quod teste Summo Pontifice **inimicitiæ Mariæ identicæ inimicitiis Christi utriusque de diabolo plenissimus triumphus de hoste infernali ipso Sacro textu insigniter exprimuntur.** Profecto **titulus habendi** inimicitias istas et reportandi triumphum diversus est in Christo ab illo qui est in Matre; sed Mariæ plenissime utraque communicantur.

Insuper notetur Summum Pontificem minime ex verbo Dei conclusionem deducere, **sed manifeste exponere ipsum sensum revelati verbi Dei.**

Dilucide Vulgata pandit Mariam plena de hoste maligno potiri victoria, identica illi, qua triumphat Benedictum Semen cum **ipsi mulieri** contritionem capitis serpentis **immediate** vindicet. Quæ lectio etsi propter textum originalem critice sustineri nequeat, tamen hoc unum evincit, **in revelatione** contineri contritionem capitis **etiam ex parte mulieris,** secus decisioni Tridentinæ non satisfieret.[1] Cum contritio capitis per posteriorem revelationem

[1] Denz. 785; „Unde dicimus, a) dogma quod expressum exstat in editione veteri vulgata, non deerat in Scriptura primitiva; b) adeoque etiam non erat expressum aliud dogma in textu, et aliud in loco respondente editionis vulgatæ .... Sed non dicimus, vi decreti Concilii credendum esse dogma in vulgata **eodem modo** expressum, ut erat in Scriptura primitiva,

ita explicetur, ut significet omnimodam devictionem diaboli, exspoliationem et eversionem regni eius, iam formaliter revelatum sit, oportet, **Mariam eadem plena victoria, qua Divinum Filium potiri.**

B) **Interpretatio Patrum:** Pius IX. S. M. in Bulla appellat ad Patres et revera id ipsum quod proclamatum est in Bulla: „Ineffabilis" enuntiatum invenimus in eo, quod **Patres in opere Redemptionis admittunt retorsionem, recirculationem contra insidias diaboli in opere seductionis ad peccatum.** „Totius redemptionis nostræ ratio in quadam recirculatione contra diabolum consistere dicenda est: quatenus omne id quod machinatus fuerat Satanas ad ruinam generis humani, illud ipsum ordine contrario divinitus dispositum est ad salutem."[1]

Momenta huius vindictæ divinæ huc redeunt:[2] A) Sicut diabolus per mulierem seduxit, ita Deus per mulierem salvat eademque caro, quæ deiecta et trita est a dæmone contra ipsum exsurget. B) Deus pro Heva devicta, a qua peccatum initium sumpsit **aliam** mulierem excitabit, quæ in ipsa deiectione inimici associabitur Filio suo. Qua in re duo attentionem specialem merentur: a) Si Patres ipsum textum Geneseos ita exponunt, ut hanc recirculationem exprimat et **novam** mulierem inimicam diaboli excitandam designet, iam sequitur ipsos oraculum aut litteraliter intellexisse de Maria aut saltem **in ipsis verbis** textus expressas vidisse Mariæ inimicitias contra Satanam perducentes ad contritionem capitis serpentis, ad plenam victoriam de diabolo.

b) Si litteraliter intellexerunt mulierem Geneseos 3, 15 Mariam eiusque semen divinum Redemptorem, certo

---

dummodo dogma maneat idem; .... Exempla esse possunt, si quis contenderet textus: Gen. 3, 15. ‚ipsa conteret caput tuum;' .... iuxta Scripturam primitivam legi oportere: ‚ipse conteret caput tuum'; .... Utrovis modo scriptum primitus fuisse dicas, dogmata eadem promissi Redemptoris et immaculatæ eius matris; ...." Franzelin. Tract. de Divina Trad. et Scriptura[2]. Romæ 1875, Typ. Polygl. de Prop. Fide Th. 19. p. 535-536.

[1] Billot, de Verbo Inc. Thes. XLI ed. 5a. p. 384.

[2] Cf. J. Bittremieux: De mediatione universali B. M. Virginis quoad gratias. Brugis 1926, Beyaert. p. 94 sqq. et Neubert: Marie dans l'Église Antènicèènne. Paris, 1908, Lecoffre. Chap. III. p. 238 sqq.

inimicitias sumpserunt absolutas perducentes ad contritionem capitis serpentis. Sed etiam si quis obicit saltem multos Patres textum ita interpretatos esse ut mulier litteraliter designet Hevam, certum invictumque remanet etiam hos Patres exhibuisse Hevam tamquam **typum Mariæ** seu **Mariam præfiguratam.** Item certum est etiam hos Patres non interpretatos esse inimicitias ita, ut tantum significarent erectionem Hevæ a Deo excitatæ contra Satanam, sed ipsos etiam inimicitias intellexisse absolutas et plene victrices de Satana, quæ non verificarentur nisi in Heva **formaliter ut typo Mariæ.** Si enim Patres cogitassent de ista erectione **Hevæ** contra Satanam, in traditione inveniri deberent vestigia **Hevæ ut insurgentis contra diabolum.** At de hac parte Hevæ nihil atque prorsus nihil. Ubicumque de Heva sermocinatio occurrit, **unice** exhibetur ut causa ruinæ, a qua malum et pernicies exordium sumpsit. Ubi de erectione contra serpentem agitur unice Maria apparet. „Mors per Hevam, vita per Mariam" tamquam axioma pervadit traditionem.

c) Hæc **Nova** Heva, i. e. Maria genuit Salvatorem et **in ipso opere** redemptionis associata est Filio suo: Sicut vetus illa Heva libere cooperata est ad ruinam, ita Maria veris liberis actibus ad reparationem generis lapsi concurrit. Ergo e mente Patrum in hac vindicta divina contra Satanam apparet Maria ita associata Redemptori, **ut inimicitiæ sint eadem, idem opus reparationis generis humani, unus idemque de hoste maligno triumphus.** Et iam audiamus testes traditionis. Hanc doctrinam inde ab initio Ecclesiæ invenimus.

Tertullianus (160—222), de carne Christi c. 17: „Hic ratio defendit, quod Deus imaginem et similitudinem suam, a diabolo captam, **æmula operatione recuperavit.** In Virginem enim adhuc Evam irrepserat verbum ædificatorium mortis; in virginem æque introducendum erat Dei verbum exstructorium vitæ: ut quod per eiusmodi sexum abierat in perditionem, per eundem sexum redigeretur in salutem. Crediderat Eva serpenti: credidit Maria Gabrieli. Quod illa credendo deliquit, hæc credendo delevit."[1] Insigniter hoc docet **Irenæus** (140—202): „Quare

[1] ML II, 782.

igitur non iterum sumpsit limum Deus, sed ex Maria operatus est plasmationem fieri? Ut non alia plasmatio fieret, neque alia esset plasmatio quæ salvaretur, sed eadem ipsa recapitularetur, servata similitudine."[1] Et incapite sequenti: „Maria virgo obœdiens invenitur ... Eva vero inobœdiens: non obœdivit enim, adhuc cum esset virgo. Quemadmodum illa virum quidem habens Adam, virgo tamen adhuc existens ... inobœdiens facta, et sibi et universo generi humano causa facta est mortis: sic et Maria habens prædestinatum virum, et tamen virgo, obœdiens, et sibi et universo generi humano causa facta est salutis. Et propter hoc lex eam, quæ desponsata erat viro, licet virgo sit adhuc, uxorem eius, qui desponsaverat, vocat; eam quæ est a Maria in Evam recirculationem significans: quia non aliter quod colligatum est solveretur, nisi ipsæ compagines alligationis reflectantur retrorsus; ut primæ coniunctiones solvantur per secundas, secundæ rursus liberent primas ... Sic autem et Evæ inobœdientiæ nodus solutionem accepit per obœdientiam Mariæ. Quod enim alligavit virgo Eva per incredulitatem, hoc virgo Maria solvit per fidem."[2]

Argumentatio Irenæi eo tendit ut demonstret Deum in opere redemptionis omnia ita instituisse, ut quæcumque diabolus machinatus erat in ruinam hominis quoad personas, conditiones et circumstantias ordine inverso retorquerentur in serpentem infernalem. Propterea tantopere urget Christum secundum Adam per obœdientiam in ligno reparasse inobœdientiam primi commissam in ligno et calcasse caput inimici, „principis transgressionis facti, quem Deus odit, quia seduxit hominem." „Quapropter inimicitiam posuit ‚inter serpentem et mulierem', et semen eius, observantes invicem: illo quidem cui morderetur planta, et potente calcare caput inimici; altero vero mordente, et occidente et interpediente ingressus hominis, quoadusque venit semen prædestinatum calcare caput eius, quod fuit partus Mariæ."[3] Propterea ex ipsa carne Adæ Redemptor carnem assumit, pro Heva virgine nova mulier excitatur virgo Maria, quæ liberis actibus intervenit in opere redemptionis et per Filium suum ini-

[1] MG VII 955.
[2] MG VII 958 sq.
[3] MG VII 964.

micitias victoriosas exercet in diabolum. Cum semen mulieris promissum in protoevangelio est **„partus Mariæ“**, mulier ipsi litteraliter designat Mariam.

In alia parte eiusdem operis episcopus Martyr hæc habet: „Quemadmodum enim illa (Heva) per angeli sermonem seducta est, ut effugeret Deum, prævaricata verbum eius; ita et hæc per angelicum sermonem evangelizata est, ut portaret Deum, obœdiens eius verbo. Etsi ea inobœdierat Deo; sed hæc suasa est obœdire Deo, uti virginis Evæ virgo Maria fieret advocata. Et quemadmodum adstrictum est morti genus humanum per Virginem, salvatur per Virginem: æqua lance disposita, virginalis inobœdientia, per virginalem obœdientiam. Adhuc enim protoplasti peccatum per correptionem primogeniti emendationem accipiens, et serpentis prudentia devicta in columbæ simplicitate, vinculis autem resolutis, per quæ alligati eramus morti.“[1]

Eadem ratiocinatio alibi occurrit apud Irenæum; ubique principium fundamentale statuit: Deum omnia ad amussim, quæ Satanas machinatus erat ad ruinam generis humani, retrorsum conversa esse ad salutem.[2]

Hanc ideam vindictæ divinæ **S. Cyprianus** videt expressam in Protoevangelio: „Non pusillum vobis certamen cum hominibus, quoniam Deus præstat agonem. Ecce virgo in uterum accipiet, et pariet filium, et vocabitis nomen eius Emmanuel ... Hoc semen Deus prædixerat de muliere procedere, quod calcaret caput diaboli.“ In Genesi: „Tunc dixit Deus ad serpentem: Quia tu hoc fecisti, maledictus tu ab omni genere bestiarum terræ ... Et ponam inimicitiam inter te et mulierem et inter semen eius. Ipse tuum observabit caput, et tu observabis calcaneum ejus.“[3] S. Pater probare intendit hoc futurum esse signum nativitatis Dei Filii ut secundum naturam humanam partu virginali nasceretur et hoc videt prædictum in vaticinio Geneseos. Propterea Cyprianus debet in textu videre designatam mulierem absque concursu viri

[1] MG VII, 1175-1176.
[2] Ibid. 1122; concinne hæc compendiata inveni in Diss. III. ap. MG VII, p. 316.
[3] Testim. l. II. c. 9. ML IV, 704.

concipientem et parturientem. Sed hoc clare manifestat textum literaliter intellegi a S. Cypriano de Maria, nam Heva nequit esse typus Mariæ absque viro concipientis et parturientis. Ergo Cyprianus textum ita intelligit, ut Deus pro Heva aliam excitet mulierem et quidem quia serpens per mulierem primum hominem deiecit, per hanc aliam mulierem deiciendus est per semen eius.

S. Justinus (110—167) præclare propugnat hanc doctrinam. Christus ex virgine homo factus est, „ut qua via initium orta a serpente inobœdientia accepit, eadem et dissolutionem acciperet. Eva enim cum virgo esset et incorrupta, sermone serpentis concepto, inobœdientiam et mortem peperit. Maria autem virgo cum fidem et gaudium percepisset, nuntianti angelo ... respondit: ‚Fiat mihi secundum verbum tuum.' Ex hac ille genitus est, de quo tot Scripturas esse dictas demonstravimus, per quem Deus serpentem eique assimilatos angelos et homines profligat."[1]

S. Epiphanius (315—403) imprimis perspicuis verbis concedit, non omnia, quæ in textu Geneseos 3, 15 continentur Hevæ applicari posse; propterea nonnisi per adumbrationem valere de Heva; proinde debet textum litteraliter exponere ita ut mulier sit Maria, cum semen sit Christus. „Quoniam vero cum adhuc virgo in hortis Eva degeret, per contumaciam apud Deum offenderat, ideo gratiæ propria ab Virgine manavit obœdientia, postquam circumfusi corpore Verbi sempiternæque vitæ de cœlo est nuntiatus adventus. Nam illic ita serpentem Deus alloquitur: „Inimicitiam ponam inter te et inter illam, inter semen tuum et inter semen eius. At qui nusquam eiusmodi semen mulieris inveniri potest. Unde non aliter quam per adumbrationem ac similitudinem ad Evam hostiles illæ inimicitiæ referuntur, quas cum huius stirpe serpens ille et qui in serpente inerat invidia flagrans diabolus exercet. Plene quidem ac perfecte accommodari ad illam universa nequeunt; sed in sanctissima, eximia ac singulari stirpe, **quæ ab sola Virgine Maria, sine ulla viri consuetudine,** propagata est, reipsa ac penitus impletur.

[1] Dial. C. Tryph. n. 100 MG VI, 710 sq.

Hic enim illius filius ad exstinguendam serpentis ... vim ac potentiam ... ad hæc infima descendit."[1]

Epiphanius hic istud **„Semen mulieris"** ita interpretatur, ut debeat procedere ex sola muliere **sine viro,** proinde iterum mulier litterali sensu designat Mariam.

Secundo Epiphanius exhibet Hevam typum Mariæ, sed rationem typi exinde repetit, quod sit mater omnium viventium. „Hæc est, quam adumbravit Heva, quæ viventium mater quodam ænigmatis involucro nuncupatur. Si quidem Eva tum viventium est appellata mater, cum iam illud audiisset: Terra es et in terram reverteris, post admissum scilicet peccatum ... Ab eadem hac Heva totius est in terris humani generis origo deducta. Revera tamen a Maria Virgine vita ipsa est in mundum introducta, ut viventem pariat, et viventium Maria sit Mater. **Quocirca viventium** mater adumbrata similitudine Maria dicitur."[2] Ergo **Maria in ipso opere redemptionis cooperata est tamquam Mater supernaturalis viventium.** Cum autem præcise in opere redemptionis vis et potentia Satanæ confringatur iuxta nostrum S. Patrem **iam eadem victoria Mariæ vindicatur, quæ per Filium suum reportata est.**

Hæc confirmantur ex sequentibus: „Aliud vero præterea in utraque, Eva scilicet ac Maria, considerari potest, et quidem admiratione dignum: si quidem Eva generi hominum causam mortis attulit, per quam mors est in orbem terrarum invecta; Maria vitæ causam præbuit, per quam vita est nobis ipsa producta ... Unde mors accidit, vita illud accessit, ut in mortis locum vita succederet, et illatam a muliere mortem ille ipse, qui e muliere, vita ut esset nostra, natus erat excluderet."[3] Deinde sequitur textus superius primo loco ex Epiphanio citatus.

Ergo Deus ex ipsa carne ab Adamo propagata excitat pro Heva Matre omnium viventium secundum carnem... aliam virginem Mariam, quæ per Filium suum hostem

[1] Adv. hær. l. III t. II. hær. 78 MG 42,730.
[2] Ibid. col. 727.
[3] Ibid. col. 730.

infernalem deiceret et cooperando ad redemptionem ad victoriam de hoste maligno omnium Mater secundum vitam supernaturalem exstaret.

Incerti auctoris adversus Marcionem libri quinque, quos Neubert censet anteriores anno 326. „Tandem venit ab imperio Patris omnipotentis, humanis sese vestivit et artibus ille. Adam, Virgo, Draco, lignum, quæ causa ruinæ; et via qua nos mors temeraria vicerat omnes, hac eadem gradiens pastor pecudemque requirens angelo, virgine, carne sua, lignique medela."[1]

„Adam vi captum sic quærit Christus ubique. Ipse viam gradiens qua mors operata ruinam est omnia perlustrans vetera monumenta virorum singula perspiciens, exemplis omnibus unus, ex utero incipiens inimicam expellere mortem, conceptæ simul in gremio cum semine carnis ...
et quia terribilis puteo demersus iniquo vir cecidit, suasit virgo subducta dracone, consilio placuit, tegmen cœleste reliquit. Arguit hos lignum nudos, mors atra coëgit; et ex eadem massa simili ratione refecta iam renovata redit, flos carnis et hospita pacis. Virgine desponsa caro non ex semine nato artifici coniuncta suo, sine debito mortis. Angelus hæc mandata Patris per sidera defert lucida, ut angelica credantur nuntia fama, **virginis ut virgo, carnis caro debita solvat** ... Causa hæc mortis erat (quod Adam manum extendit temere contingere lignum), eadem via facta salutis (quod Christus extendit manus in cruce); nuntius ille doli, sed pacis nuntius iste; sponsa virum necuit, genuit sed sponsa leonem; virgo viro nocuit, sed vir de virgine vicit."[2]

Gregorius Thaumaturgus (213—270) in retorsione illa, iuxta quam præcise diabolus eadem via iisdemque mediis quibus vicerat, vinceretur primo urget, quod „ideo æterni Patris verbum carnem ex ea (Maria) et perfectam humanam naturam suscipere dignatum est; ut per quam carnem peccatum in mundum introivit, et per peccatum mors, **per eandem carnem** peccatum in carne condemnetur."[3] Deinde magis proxime

---

[1] Incerti auctoris adv. Marcionem libri quinque in ed. operum Tertulliani opera Öhler, t. II p. 798.

[2] Ibid. p. 787; hic solutio debiti Hevæ peracta per Mariam opponitur cooperationi Hevæ in opere lapsus per seductionem viri et hæc cooperatio Mariæ formaliter simul ponitur cum ipsissima solutione debiti humani generis per Christum.

[3] Hom. II. in Annunt. Virg. Mariæ MG 10. 1155.

istam recirculationem in Maria extollens: „Non sicut antea virgo Eva sola in paradiso chorum agens atque tripudians, relaxata mente per incuriam ab auctore omnis mali serpente, verbum suscepit; et sic sensu mentis corrupta est, ac per ipsam fraudulentus venenum effundens, mortemque admiscens, in omnem mundum introduxit . . .: verum in sola sancta virgine, eius lapsus reparatus est."[1] Et alibi introducit angelum Mariam alloquentem: „Non amplius diabolus erit contra te; nam ubi hostis ille antea vulnus inflixit, illic primum nunc medicus salutis medicamentum adhibet. Unde mors prodiit, inde vita sibi ingressum paravit. Per mulierem mala fluxerunt, et per mulierem bona emanant. Ave gratia plena. Ne, quod mulier damnationis causa exstiterit, erubescas: Judicis enim et Redemptoris tu Mater eris. Ave immaculata, viduati orbis sponsa simul et **mater.** Ave, **quæ in tuo utero matris Evæ mortem demersisti.**"[2]

Sicut Eva orbem genuit secundum carnem, ita Maria secundum spiritum ipsaque Mater secundum vitam supernaturalem. Ipsa est alia illa mulier Geneseos excitata, ut per Redemptorem mortem occideret, ipsaque mortem demersit. **Ipsa tamquam Mater supernaturalis cooperatur ad Redemptionem. Unum ergo idemque opus Christi et Mariæ.**

S. Ephræm (306—373) in laude Mariæ antesignanus: „Heva et serpens fossam foderunt illucque Adamum præcipitarunt, at Maria et regius infans sese opposuerunt et delapsi extraxerunt eum ex abysso per hoc occultum mysterium, quod patefactum Adamum vivificabit."[3]

Et paulo post: „In Maria gloriantur omnes virgines, quia virgo est quæ causa fuit bonorum. . . . In Maria exaltatum est inclinatum Hevæ caput. Quia Maria suscepit infantem qui comprehendit aspidem, folia ignominiæ absorpta sunt a gloria. Humano generi duæ sunt datæ virgines: una causa fuit vitæ, altera mortis. Per Hevam orta est mors et vita per Mariam. Filia matrem lapsam sustentavit. Quia mater induerat folia ignominiæ, filia texuit ei atque dedit stolam gloriæ."[4]

---

[1] Hom. I. In Annunt. Virg. Mariæ MG 10. 1147.
[2] Hom. III. In Annunt. Virg. Mariæ MG 10. 1173.
[3] Hymni de B. Maria ed. Lamy t. II. p. 524.
[4] Ibid. p. 526.

„Salve revocatio Adami, salve Evæ pretium Redemptionis, salve fons gratiæ et immortalitatis, ... salve pura, quæ draconis nequissimi caput contrivisti et in abyssum proiecisti vinculis constrictum ... salve maledictionis solutio, ..."[1]

Initio protoparentum delicto in omnes homines mors pertransiit; hodie vero per Mariam translati sumus de morte ad vitam. Initio serpens Hevæ auribus occupatis inde virus in totum corpus dilatavit; hodie Maria ex auribus perpetuæ felicitatis assertorem excepit. Quod ergo mortis fuit, simul et vitæ exstitit instrumentum."[2]

S. Cyrillus Hieros. (315—386): „Per virginem Evam subiit mors; oportebat per virginem, seu potius de virgine, prodire vitam: ut sicut illam decepit serpens, ita ut huic Gabriel bonum nuntium afferret. ... Deus vere homo factus est, ut dissolveretur mendacium. Carnis contra nos instrumento diabolus utebatur ... quibus igitur armis nos diabolus debellabat iisdem et salvi effecti sumus." [3]

Ne pigeat quemquam, quod choro venerabilium Patrum se intermisceat laus illius qui Maternitatis divinæ adversarius exstitit infensissimus, qui tamen Mariam aspernatus non est, **Nestorii:** „Propterea Christus debentis suscepit personam naturæ et per eam debitum tamquam Adæ filius reddidit. Oportebat enim debitum luentem ex genere deduci eius, qui id aliquando contraxerat. Ex muliere debitum, ex muliere absolutio."[4] Et alibi: „Ille (Diabolus) peccatum ex Adam tamquam chirographum proferebat et e diverso Christus ex carne sine peccato debiti huius evacuatione nitebatur. Ille condemnationem, quæ per Evam adversus totam naturam processerat, relegebat. Christus vero iustificationem, quæ per beatam Mariam generi obvenerat, referebat."[5]

S. Proclus († 446) introducit dæmones inter se colloquentes: **„Enimvero iterumne cum secunda Eva nobis instat certamen? Instruendane acies adversus impollutam mulierem?** Rursumne cogimur adorare secundum Adam? ... At certe mulier illa terreni oculorum spectaculo capta, levi manu prostrata

[1] S. Ephræm Omnia Opera Græce. et Lat. t. III. p. 547.
[2] S. Ephræm Op. omnia Syr. et Lat. t. III. p. 607.
[3] Cat. 12 de Christo Inc. MG 33, 742.
[4] Loofs, Nestoriana. Halle 1905, Niemeyer. p. 255-256.
[5] Ibid. p. 348-349.

iacuit: hæc autem in manibus cœlestis suscepta, seu forti vallo munita consistit. Illa in ligni cupiditatem exarsit; huic ne quid huius modi etiam in mentem venit.... Illa cum corruptionem adiret, (cum sumeret quod ad interitum erat, nempe fructum ligni vetiti)..., eminentem se dignitatem capessere cogitabat; in divinum hæc gaudium intrans, humanæ non obliviscitur imbecillitatis... **Ergone satanicus cuneus virginalem hunc non subvertet murum?**... Num quid ab exspectatione decidemus, ut a vincendi contentione pertinacique studio non recesserimus? Ceterum cum neque virginali officinæ insidiari licuerit, nec mentis agrum valebimus obturbare, ac neque proli quæ utero gestatur, poterimus resistere; tunc illibatam Virginis Conceptionem calumniæ iaculis impetemus."[1]

Ergo Maria cum Filio una eademque castra, unam aciem contra diabolum efformat tamquam unus murus aëneus ictibus diabolicis opponitur et in ipso opere Filio associatur.

Hanc associationem Mariæ cum Christo in lucta contra diabolum a Patribus ætas posterior accepit. Ita inter alios Germanus II. Constantinopolitanus patriarcha: „Ex hoc colloquio atque unione (diabolum inter et Hevam) concipiebatur dolor, et vulnere divinæ legi per exitialem ligni esum inflicto, pariebatur peccatum; peccatum vero generavit mortem, crudelem viperam, quæ primam matrem occidit. Rex autem pacis inter hominem et viperam inimicitiam posuit, bellumque implacabile in omnia sæcula duraturum.... Et hæc quidem mihi in Eden obvenerunt, antiquissimæ clades; sed e Nazareth omne per mulierem, quidquid est boni dimanat... Maledicta fuit Eva, repleta fuit autem gratia Maria."[2]

Moyses Chorenensis (sæc. V.) opponit Mariam Hevæ diffundenti mortem per orbem illamque celebrat ut delectricem maledictionis per protomatrem introductam: „O flos mirabilissime, odorem immortalitatis ex Eden fragrans nobis filiis Evæ, qua mors per orbem diffusa est:... te ianuam cœli et viam regni, **quæ maledictionem abstulisti,** seraphim terrestem, magnificamus."[3]

---

[1] Oratio de laudibus S. Mariæ MG 65, 751.

[2] Sermo in Deiparæ Annuntiationem, Ball. Syll. t. II. p. 302 sq.

[3] Laudes et Hymni ad Ss. Mariæ Virginis honorem ex Arm. Breviario excerpta. Venetiis 1877, in S. Lazari insula. p. 54.

„**Maledictionum deletrix et peccati expiatrix, Sancta Virgo,** quæ ingestabilem creaturis in tuis ulnis portasti, te benedicimus Deiparam Virginem."[1]

Theodotus Ancyranus in concilio Ephesino strenuus orthodoxiæ propugnator in aliqua homilia quoad rem eandem doctrinam proponit. „Placuit ... sapientissimo Domino, ut tamquam optimus medicus, ... per eam ipsam naturam quæ nequissimo succubuisset, sua in eam inclinatione adversarium eius expugnaret.... Pro mali enim auctore dracone, qui mundo tristia invexisset, lætum gaudii nuntium ferens archangelus Dominico e cœlis præit descensui: eiusque loco, qui rapinam arbitratus esset esse æqualem Deo, qui natura Deus ... **pro ea** quæ ad mortem ministra exstiterat virgo Eva, Deo gratissima ac Dei plena gratia **Virgo in vitæ obsequium eligitur:** virgo muliebri comprehensa sexu, et mulieris exsors nequitiæ ... Hanc nobis conditore dignam donavit divina providentia, bonorum conciliatricem, non quæ ad inobœdientiam incitet, sed quæ ad obsequendam ductrix exsistat.[2]

Jacobus Sarugensis († 521): „Virgo pura et angelus igneus mirabiliter pacis tractatum terricolas inter ac cœlites ineunt ... Puella et angelus sibi mutuo obviaverunt et negotium versant, donec aboleverint contentionem Domini et Adami. Perturbatur magnus qui hunc corruere fecerat inter arbores iam **ipse conculcatur et omnino devincitur** factaque est reconciliatio."[3]

Theodorus Studita (sæc. VIII/IX.): „Quum in superiora evolaverit columba innocentissima inferiora hæc protegere non desiit: corpore egressa, spiritu nobiscum est: cœlo inlata, dæmones fugat facta apud Dominum mediatrix. Olim quidem per progenitricem Evam mors ingressa mundum imperio premebat, **cum autem beatam illius filiam aggressa, depulsa est; indidem victa,** unde olim potentiam sumpserat. Lætetur igitur femineum genus, pro ignominia gloriam sortitum. Gaudeat Eva, quæ iam deinceps non est maledicta, postquam benedictionis sobolem Mariam protulit; Exsultat creatura universa, quæ immortalitatis fluenta ex virgineo fonte mystice haurit, quibus a mortifera siti libera-

[1] Ibid. p. 58.

[2] Hom. VI in S. Deiparam et in Nat. Domini MG 77, 1426-1427.

[3] Apud Abbeloos: De vita et scriptis Sancti Iacobi Batnarum Sarugi in Mesopotamia episcopi. Lovanii 1867, Vanlinthout. Carmen I de B. V. M. v. 258 sqq.

tur."[1] Præter alia hic explicite habemus Mariam victricem mortis. Maria libera remansit a maledictione, proinde a peccato originali. Propterea mors illam suis vinculis retinere non potuit et dum illam aggreditur, ut arripiat tamquam prædam retinendam devicta est. His ergo formaliter enuntiatur Mariam participem esse victoriæ Christi de peccato et de morte.

Sermones S. Leonis M., qui ecclesiam ab anno 440—461 rexit, verbis disertissimis prout mos est huius S. Pontificis hanc recirculationem extollit: „Dei namque Filius ... reconciliandum auctori suo naturam generis assumpsit humani, ut inventor mortis diabolus per ipsam quam vicerat, vinceretur."[2] Et alibi: „... Deus ... statim ut nos diabolica malignitas veneno suæ mortificavit invidiæ, præparata renovandis mortalibus suæ pietatis remedia inter ipsa mundi primordia præsignavit; denuntians serpenti futurum semen mulieris quod noxii capitis elationem sua virtute contereret (Gen. III, 15); Christum scilicet in carne venturum, Deum hominemque significans, qui natus ex Virgine violatorem humanæ propaginis incorrupta nativitate damnaret."[3] In sequentibus exponit cur Christus natus sit ex Virgine, quæ talis remansit in conceptione et partu. Cum semen sit Christus et urgeatur tantopere, quod semen hoc debuerit provenire **ex virgine in partu inviolata** iam S. Leo accedit illis, qui urgent semen mulieris debere esse mulieris absque viro. Mulier ergo cum Christo inimicitias gerens et de diabolo triumphans non alia exhibetur a Leone nisi Maria.

In opere supposititio S. Hieronymi egregie hæc doctrina defenditur: Citatis verbis Geneseos ait: „Nonne consideras; nonne conspicis, quod eidem tunc minabatur in Christo? Aliud enim semen mulieris nullum prorsus accipio, nisi illud, quod Apostolus ait: Factum ex muliere, factum ex carne ... ac per hoc quoniam iam tunc in Adam semen humanæ generationis esset transgressione vitiatum, semen cœleste promittitur, ... non

[1] Oratio VI in Deiparæ Dormitionem n. 2. ap. Mai, Nova Bibliotheca Patrum t. V. p. 55.
[2] Sermo 21 in Nat. Domini N. I. Christi ML 54, 191.
[3] Sermo 22 in Nat. Domini N. I. Christi ML 54, 194.

ex corruptione viri, sed ex Deo ... **Mater itaque Domini nostri Jesu Christi in illa iam tunc muliere promissa est.**"[1]

Hæc inimicitiis opposita est serpentis: „Ponam, inquit, inimicitias inter te et mulierem (Gen. III, 15) non certe pono dicit, ne ad Evam hoc pertinere videretur. Verbum promissionis est, quod transmittitur in futura. Ponam, inquit inimicitias inter te et mulierem. Illam utque mulierem, quæ Salvatorem parturiat, non quæ generet fratricidam?"

Basilius Seleuciensis (sac. V.): „Unigenitus contrariis medicamentis curans vulnera, de homine corpus, in quod se insinuaret, delibavit, et secundum Adamum sibi circumiecit. Paradiso solitudinem obiecit, ... serpentinæ fraudi tropæum, quod per hominem contra diabolum statuit, Evæ virginem absque maledicti acerbitate parientem, et fetum virgineum a veteris culpæ ægritudine liberum et innuptam puellam, quæ **sponsum** generavit immortalem."[2] Juxta Episcopum Seleuciensem in antagonismo contra Satanam Maria Christo tamquam **Suo sponso adiungitur.** Insuper Hevæ causæ mortis opponitur Maria afferens causam vitæ; id quod tamquam principium enuntiat Hieronymus: „In doloribus iugiter Eva parturiebat. Postquam vero virgo concepit in utero, et peperit nobis puerum: ‚cuius principatus in humeros eius'. (Is. 9, 6), Deum, fortem, patrem futuri sæculi, soluta maledictio est. Mors per Evam, vita per Mariam."[3]

Venimus ad maximum lumen Ecclesiæ **S. Augustinum** (354—430): „Per feminam mors, per feminam vitam ... Dominus Jesus Christus, qui venerat ad homines liberandos, in quibus et mares et feminæ pertinent ad salutem, nec mares fastidivit, quia marem suscepit; nec feminas, quia de femina natus est. Huc accedit magnum sacramentum, ut quoniam per feminam nobis mors acciderat, vita nobis per feminam nasceretur: ut **de utraque natura,** id est de feminina et masculina, **victus diabolus cruciaretur,** quoniam de ambarum subversione lætabatur; cui parum fuerat ad pœnam si ambæ naturæ in nobis liberarentur, nisi etiam per ambas liberaremur."[4]

Breviter, sed clare S. Zeno: „O charitas, quam pia ... Tu Evam in Mariam redintegrasti. Tu Adam in Christo renovasti."[5]

[1] Ep. VI. ad Amicum Ægrotum; ML 30, 82-83.
[2] Oratio III. MG 85, 62.
[3] Epist. 22. ML 22, 408.
[4] De agone Christ. c. 22 n. 24 ML 40, 302-303.
[5] Lib. I tract. II c. IX ML 11, 278.

Quam familiaris hæc doctrina fidelibus fuerit, elucet e versibus, quibus **Prudentius** Poeta hanc luctam et victoriam Mariæ extulit: „Fit caro vivida sermo Patris ... Numine quem rutilante gravis non thalamo, neque iure tori, ... Nec genitalibus illecebris ... Intemerata puella parit.

Hoc odium vetus illud erat, Hoc erat aspidis, atque hominis **Digladiabile** discidium, **Quod modo cernua femineis Vipera proteritur pedibus.**

Edere namque Deum merita Omnia virgo venena domat."[1]

S. Petrus Chrysologus: „Audistis ... Angelum cum muliere de hominis reparatione tractantem. Audistis agi, ut homo cursibus iisdem quibus dilapsus fuerat ad mortem, rediret ad vitam. Agit cum Maria angelus de salute, quia cum Eva angelus egerat de ruina."[2]

Et alibi: „Dominus tecum. Quid est in te Dominus? Quia ad te non visitandi studio venit, sed in te novo nascendi illabitur sacramento. Adiecit congrue. Benedicta tu in mulieribus. Quia in quibus Eva maledicta puniebat viscera, tunc in illis gaudet, honoratur, suscipitur Maria benedicta. **Et facta est vere nunc Mater viventium per gratiam,** quæ mater exstitit morientium per naturam."[3]

Ergo recirculatio. Sicut Heva associata Angelo malo **in opere perniciei,** ita Maria **in ipso opere reparationis associata Christo.**

S. Maximus Taurinensis (sæc. V.): „Nascitur itaque Christus ex Maria, ut et sexus femineus hominem daret, et Deum proderet integritas feminalis. Nascitur Christus ex femina, ut sicut Adam decipientem per Evam diabolum non potuit præcavere, ita Diabolus adventantem per Mariam Deum non deprehenderet esse præsentem. Parturit ergo femina salutem mundi; ut quæ exstiterat fomes iniquitatis, fieret ministra iustitiæ, et per quam mors sibi in hunc mundum aditum patefecit, per eam ad nos vita haberet ingressum."[4]

---

[1] Cathem. III. Ante Cibum ML 59, 806-807.
[2] Sermo 142 in Annunt. D. Mariæ V.; ML 52, 579.
[3] Sermo 140 De Annunt. D. Mariæ Virginis ML 52, 576.
[4] Hom. 15. De Nat. Domini ML 57, 253-254.

Præclarissime **S. Chrysostomus (344—407):** „Hodie præclarum victoriæ triumphum agimus: hodie Dominus noster, **tropæo contra mortem erecto,** tyrannideque diaboli calcata, per resurrectionem viam nobis ad salutem munivit. Omnes proinde gaudeamus, ... Nam etsi Dominus ipse sit qui vicit et tropæum erexit, ... commune gaudium est. Nam propter nostram salutem omnia fecit: et per quæ diabolus nos expugnavit, per ea ipsa Christus ipsum superavit. Ea ipsa arma accepit, ac per eadem ipsum prostravit: quomodo autem audi. Virgo, lignum et mors nostræ cladis symbola fuerint? Iam vide quomodo eadem ipsa nobis **victoriæ causa** sint. **Pro Eva Maria;** pro ligno scientiæ boni et mali, lignum crucis; pro morte Adami mors Domini. Vident cum iisdem armis vicisse, et iisdem profligatum esse?"[1]

Hisce liceat annectere testimonium ex opere spurio Chrysostomi, quod tamen venerandæ ætatis procul dubio est. „Advenit ad Virginem Mariam angelus et ingressus ad eam dixit: ‚Ave gratia plena.' Conservam vocavit ut dominam, et ut eam quæ iam esset mater Domini. Ave gratia plena. Prisca illa mater tua Eva legem transgressa, sententiam accepit, ut in dolore pareret filios: tibi vero competit illud Ave. Illa: Cainum peperit et hac prole invidiam et cædem: tu vero paries filium vitam et incorruptionem afferentem. Ave nunc et coreas age: **ave et calca serpentis caput.**"[2]

S. Sophronius († 638) fortissimum Ecclesiæ munimen contra Monotheletas: „Vere ‚Benedicta tu in mulieribus' quoniam Evæ maledictionem in benedictionem commutasti; quoniam Adam, qui prius iacebat execratione perculsus, ut per te benediceretur, effecisti. Vere ‚Benedicta tu in mulieribus', quoniam benedictio Patris per te affulsit hominibus, eosque a vetere maledicto liberavit. Vere benedicta tu in mulieribus, quia per te progenitores tui salutem inveniunt tu si quidem genitura es Servatorem, qui divinam ipsis salutem comparabit. Vere ‚Benedicta tu in mulieribus', quoniam sine semine eum protulisti fructum, qui benedictionem terrarum orbi elargitur, ipsumque a maledictione spinas germinante redimit."[3]

Deinde: „Quippe (divina virgo) animo recogitans Evæ deceptionem, timebat ac verebatur, ne denuo seipsam quoque dolosus

[1] Hom. in S. Pascha n. 2 MG 52, 767-768.
[2] Hom. in Annunt. Deiparæ MG 62, 765.
[3] Oratio II. in SS. Deiparæ Annuntiationem c. 22 BC MG 87, 3242.

serpens, non secus atque illam, deciperet. Prudenter itaque omnia expendebat, nequando alloquium serpentino illi simile seipsam forte e divina claritate in præceps ageret. Porro cum illam hoc pacto secum ipsam colluctantem cœlestis nuntius ... cerneret, protinus ab omni illam timore liberat ... „Ne timeas, inquit Maria; non sum ei similis, qui matrem tuam decepit ... non sum ei similis, qui mortem præ invidia generavit, et universos homines obnoxios morti effecit: non sum ei similis, qui universos homines e limo terræ conditos, et suam a Dei manu formationem sortitos, divini præcepti effecit prævaricatores, **ac rursus in terræ limum convertit:** non sum ei similis, qui Adamum, amicitia Dei prius fruentem, Deo reddidit inimicum. Angelus ergo sum Dei omnipotentis ... A Deo autem Patre omnipotente ad te, **immaculatam omnisque labis expertem Virginem,** missus sum, ut unigeniti eiusdem Filii, qui omnia ad existendum perduxit, atque ex non exstantibus ad existentiam vocavit, tum descensum in te Virginem, tum summe celebrandam eius in te conceptionem, et divinissimam ex te incarnationem, et admirabilissimam in tuo utero gestationem, et incomprehensibilem ex te nativitatem annuntiem. Per hæc inimici machinamenta omnia labefactantur, per hæc universa hostis inventa simul cum ipso eorum inventore disiiciuntur."[1]

Maria ergo non decipitur a serpente, non evadit similis Hevæ indulgendo diabolo; sed omnis labis expers a maledictione remanet libera, imo: maledictionem in benedictionem commutat; insollubili nexu cum Filio coniuncta, absoluta exstat inimica diaboli et cum benedicto fructu ventris sui regnum diaboli evertit. Non prævaricatur legem, unde homines in limum convertuntur; — **ergo immunis Virgo a conversione in lutum.**

Hesychius presbyter Mariam alloquitur: „Mulierum egregia, e virginibus electa, præclarum naturæ nostræ ornamentum, gloria luti nostri, quæ Evam pudore et Adamum comminatione liberavit, **audaciam draconis abscidit.**"[2]

S. Joseph Hymnographus (sæc. IX.): „Interime, o inviolata, peccatum vivens, quod interimit animam meam; et fac me

[1] Ibid. col. 2242-2243.
[2] Sermo V MG 93, 1466.

dignum participatione vitæ divinæ, tu quæ gaudium peperisti et serpentem interemisti."[1]

S. Tarasius († 807): „Excipe hanc, quæ a maledicto in primam parentem Evam immisso nos liberat; complectere hanc, quæ nos cum Dei charitate colligavit, et inimicitiam serpentis fraude inductam suo partu abstulit; implica istam brachiis, quæ nos ab amplexu serpentis abstrahit;"[2] et paulo inferius: „O puella immaculata ... tu Adami maledicti expiatio, tu debiti Evæ solutio;"[3] et iterum: „Per mulierem mortem lucrati sumus, per mulierem universa ipse rursus instaurabit: per serpentem cibum accepimus amari saporis, per ipsum rursum vescemur cibo immortalitatis."[4] Insuper Sanctus Patriarcha exponit, quomodo Iudæi tamquam filii diaboli eiusque antiqua malitia ducti reiecerint tum Christum, tum ipsius Matrem Mariam.[5] Demum: „Ave aura sancta, quæ spiritum malitiæ a terra dissipasti ... Ave credentium erectio ... Ave causa salutis omnium mortalium ... Ave mediatrix omnium, qui sub cœlo sunt; ave totius orbis reparatio."[6]

S. Germanus (sæc. VIII.): „Tu enim revera, veræ es vitæ parens: tu fermentum reformationis Adæ: tu opprobriorum Evæ liberatio. Illa pulveris mater, tu luminis, illius vulva, corruptio; tuus uterus a corruptione immunitas. Illa mortis demoratio et sedes; tu, a morte translatio ... Illa ut terra, in terram cessit; tu, et nobis peperisti vitam, et ad vitam rediisti, vitamque, post etiam mortem, hominibus conciliare potuisti."[7]

Liturgia Armena in eodem canone pro festo Annuntiationis Sanctæ Deiparæ: „Quæ sententiam maledictionis dolorum partus protomatris solvisti, illibate ex te eum pariendo, qui dolores partus decrevit, ad illum semper intercede pro animabus nostris." ... deinde: „Venite redempti per salutiferum descensum Verbi Patris ad uterum virginis ... qui maledictionem dolorum partus protomatris solvit, sine semine nascens ex incorrupta Virgine, hymno Dominum benedicite ..."[8]

---

[1] Mariale MG 105, 1102.
[2] In SS. Deiparæ Præsent. c. 8 B MG 98, 1490.
[3] Ibid. c. 9 A col. 1491.
[4] Ibid. col. 1494.
[5] Ibid. n. 14 per totum col. 1498.
[6] Ibid. c. 15 B col. 1499.
[7] In Dormit B. Mariæ Sermo II. MG 98, 350 A.
[8] Laudes et Hymni ... ex Arm. Brev. exc. a. l. p. 18.

Et alibi: „Per te Mariam sententia condemnationis deleta est, et per te peccatrix mater lapsa iterum se erexit."[1]

Liturgia Coptica: „Adam enim pater noster, primus quem manibus suis effecit Deus, suadente Eva, nostra prima matre manducavit de fructu arboris; venit super genus nostrum et super creationem totam potestas mortis et corruptio. **Ob Mariam, Dei Genitricem, restitutus est Adam in suum principatum iterum.**"[2]

„Maria ... rubus quem Moyses vidit, qui ardebat et non comburebatur. Cum esset filius Dei ipse venit. Fuit in ventre tuo. Ignis divinitatis eius non combussit corpus tuum. Salve, quæ dedisti salutem Adamo et Evæ ... Salve, o Sancta Mater omnium viventium."[3]

„Gloria virginum omnium est **Maria, Dei Genitrix, propter quam iterum abstulit maledictionem antiquam, quæ venit supra genus nostrum propter transgressionem, quam operata est mulier, quæ manducavit de fructu arboris; propter Evam clausus fuit introitus in Paradisum: propter Mariam Virginem apertus est iterum.**"[4]

„Nos maledixímus Evæ dicendo: Tu generabis in dolore cordis; tu audies: Ave, plena gratia."[5]

„Salve Maria, **liberatrix Adami:** Salve Maria, Mater refugii: Salve Maria, **gaudium Evæ.**"[6]

Liturgia Mozarabica: Alia Missa de Assumptione Sancte Marie: **Conpleturia:** „Summe omnium bonorum dispensator propinatorque salutis, recrea nos in hac solemnitate tuæ genitricis ... ut qui hodie **eam devicto diabolo,** evehere fecisti in celis nosque cum eadem post nostrum transitum tuæ faciei valeamus contemplari ovantes. Amen."[7]

---

[1] Ibid. p. 68.

[2] Theotokia. ed. Lacy O'Leary. London 1923. Luzac. p. 22. sect. 9. versio ex idiomate Coptico facta est a R. P. A. Vitti S. I.

[3] Ibid. p. 29. sect. β

[4] Ibid. p. 42. sect. β

[5] Ibid. p. 52. sect. finalis.

[6] Ibid. p. I. § 4.

[7] Le Liber Mozarabicus Sacramentorum et les Manuscrits Mozarabes par M. Férotin. Paris 1912, Firmin-Didot. col. 598; de ætate huius liturgiæ clarissimus editor ita iudicat: „Une conclusion bien nette ressort de tous ces témoignages. Ce n'est pas à des écrivains écclesiastiques du sixième ou du septième siècle que nous devons dans son ensemble la liturgie Moza-

Inlatio: „... Sed libet nova admiscere veteribus nostre huic festivitate, quod parturitionis huius Virginis nostre cum Eva non maluit serpentina deceptioni consensere. Illa denique nobis arboris vetitum comedendo concatenationis lege nodorum adstrinxerat mortis. Ista ergo vita peperendo clavicurario **perfodit dominio mortis.** Illa quidem audivit ut in dolore filios generaret: ista vero audire promeruit in salute mundi ut Dei filio portaret. Illa inobœdiendo aurem præbuit serpentique consensit: ista obœdiendo atque Gabrielo salutante Altissimi Verbo concepit. Illa ex vetito pomo ligni filiorum posteritate fellis amaritudine propinavit: ista ex dulcedine ligno vite iam visceribus renatorum mulcet."[1]

Maria devincit Satanam et perfodit dominium mortis, dum Heva mortis perniciem adduxit.

Metrophanes Smyrnensis acerrimus adversarius Photii ita canit: „Insidias mihi parat tentans me, o Domina, draco inimicus hominum. Sed sicut genuisti illum, qui draconum capita conterit, ita et hunc coercito."[2] Quam familiare fuerit

---

rabe, telle que les monuments manuscrits nous l'ont transmise. Ila avaient reçu ce dépôt sacré de leurs prédécesseurs. Cette liturgie, héritage de leurs ancêtres dans la foi, mais trop souvent viciée par l'incurie des copistes, ils se sont efforcés de la ramener à sa pureté première et l'ont enrichie de textes nouveaux. Ils en ont revu les mélodies et en ont composé à leur tour: ils ne l'ont pas crée. Elle n'est l'oeuvre ni d'un saint Léandre, ni d'un saint Isodore, ni des grands concils nationaux de Tolède. Florez, dans sa remarquable dissertation De la misa antigua de España l'a prouvé surabondamment et avec lui tous ceux qui ont pris la peine d'étudier sérieusement cette question". Ibid. Introduction, pag. XVI sq.; et in alio opere edito cl. Férotin ita iudicaverat: „La liturgie wisigotique ou Mozarabe est l'ensemble des formules et des rites en usage dans l'Eglise d'Espagne depuis la conversion de ce pays au christianisme jusqu'au onzieme siècle ... Je crois pouvoir affirmer des aujourd'hui que dans son ensemble la liturgie Wisigotique n'est pas d'origine orientale. C'est une liturgie d'Occident, dont le cadre général et de nombreux rites ont été importés d'Italie, vraisemblablement de Rome par les premiers prédicateurs de l'Evangile en Espagne". Le Liber Ordinum en usage dans l'Eglise wisigotique et Mozarabe d'Espagne, par Férotin. Paris 1904, Firmin-Didot. Introduction, Chap. I. pag. XI sq.

[1] Ibid. col. 595.

[2] In poemate citato in *Θεοτοκάριον περίεχον ἑξήκοντα δύω κανόνας πρὸς τὴν ὑπεραγίαν Θεοτόκον· Βενετίᾳ ἐκ τοῦ Ἑλληνικοῦ τυπογραφείου Ὁ Φοινίξ· Ἔκδοσις δεύτερα.* 1883 p. 47.... Hunc Metrophanen fuisse adversarium Photii vide ap. Krumbacher, Geschichte der Byzantin. Literatur von Iustinian bis zum Ende des Oström. Reiches. 2. Aufl. München 1897. Beck. p. 78 n. 4.

Virgini propter Immaculatam Conceptionem tribuere victoriam de Serpente ostendit Tropus canendus in Conceptionis Virginis festivitate:

„Candidissima uti lilia,
Salve æterni Patris Filia,
Salve Mater Redemptoris,
Salve Sponsa Spiratoris,
Sine macula concepta,
Salve Triadis electa,
Salve inferni Victrix aspidis
Illius expers sola cuspidis."[1]

Hic tropus invenitur in charta donationis Ugonis de Summo ex qua patet Festum Conceptionis Immaculatæ in Ecclesiæ Cremonensi sæc. XI. iam diu introductum fuisse. Sicut ipsa S. Scriptura nobis Mariam coram sistit non tantum ut matrem seminis contrituri caput serpentis, sed etiam in ipsis inimicitiis gerendis et contritione capitis, propterea in ipso opere Redemptionis, insolubili nexu Filio, eam associat, ita Patres profunda Protoevangelii intelligentia imbuti constanter ipsam victoriam de serpente, liberationem Adami, solutionem maledictionis Evæ matri Dei vindicant. Ista autem nequaquam Virgini tribuuntur eo solo titulo, quod Salvatorem genuit et Lumen æternum mundo effudit, sed quod in ipso **quoque opere Christi partem habuit.**

Nam I. secundum testes traditionis hæc omnia Mariæ competunt **tamquam aliquid Maternitati physicæ accedens et ratione Maternitatis iam constitutæ superveniens,** sicut ei tribuitur maternitas respectu hominum secundum vitam supernaturalem cum perpetua intercessione, immo aliquoties vocatur **sponsa Christi** utique in ipso opere Redemptionis.

II. Nisi Traditio intenderet cooperationem in ipso opere Christi dictiones Patrum iam in sua solemnitate et realitate seria sustineri non possent; neque ex eo iustificarentur, quod incarnatio a libero consensu Mariæ de-

[1] Ballerini Syll. t. I p. 23-25.

pendebat. Quamvis enim aliqua mater libere matrimonio consenserit, ceteraque liberrime præstiterit, quæ ex sua parte ad existentiam filii requiruntur, nemo sanus asserere audebit hanc matrem rem publicam salvasse, victorias de hostibus reportasse, adinventionibus emicuisse ea sola de causa, quia filium genuit, qui omnibus hisce laudibus excelluerit.

III. Inferius videbimus liberationem Adæ, extinctionem maledictionis Evæ, victoriam de serpente radicari in immunitate a labe originali et sanctitate Virginis, quæ profecto a maternitate divina physica distinguuntur et ex ipsa ut ratione ontologica profluunt. **At tunc etiam liberatio Adami, ablatio maledictionis Evæ, victoria de serpente aliquid a maternitate divina physica distinctum signant, proinde cooperationem in ipso opere Christi. Immo solutio debiti Hevæ, et actio perfectiva Mariæ erga Hevam præcise coordinatur operi Christi.** Quod egregie confirmatur verbis venerandi episcopi martyris Irenæi: „Quomodo per virginem, quæ non obœdiebat percussus est homo et lapsus mortuus est, eo modo et per virginem, quæ obœdivit verbo Dei in rursus excitato homine vita accepit vitam. Nam venit Dominus, ut perditam ovem iterum quæreret et perditus erat homo. Et propter hoc alia creatura aliqua non factus est, sed ab eadem, quæ ab Adam genus habebat, similitudinem creaturæ servavit; nam necesse et dignum erat, rursus perficere Adam in Christo, ut submersum absorberetur mortale ab immortalitate et Evam perficere in Maria, ut virgo virginis advocata facta solveret et destrueret virgineam inobœdientiam per virgineum obsequium."[1]

Mens Irenæi est ipsissimam naturam humanam diaboli opera ad perniciem adductam debuisse se erigere contra tyrannum, proptereaque dispositum esse, ut ex stirpe Adæ futurus Redemptor surgeret, novus Adam, qui opere et morte sua ... tristissimum opus primi destrueret. **Similiter loco primæ Hevæ, quæ in opere lapsus tantam partem habuerat,** ipse Deus suscitabit **secundam in ipso opere Redemptionis advocatam primæ.** Origo Chri-

[1] Demonstratio Apostolicæ Prædicationis quam ex Armeno vertit S. Weber, Frib. 1917. Herder, sect. III. n. 33 p. 59 sq.

sti mediate ex Adamo hic **præsupponitur et prærequiritur** secundum dispositionem divinam ad opus Christi. Pariter autem origo Christi ex Maria immediate **præsupponitur** ad hoc ut **in ipso opere Redemptionis** Maria cum Christo participet.

Perspicuum hisce adiungi potest testimonium ex sermone de nativitate Domini, quem Eminentissimus Mai Sancto Augustino tribuit, qui certissime antiquissimus est etsi forsitan Doctori Hipponensi abiudicandus remanet.

„Christus venit ad nuptias (Chanan Galilææ). Tunc autem anima, quæ de limi fuerat iam adstricta consortio per fornicationem ablectantis pomi adulterum demutat maritum, pollutæ societatis nuptias celebrat. ... Dum itaque in unius discubitionis instramento iactati diabolus et anima lascivirent, invitato Iesu dum vina luxuriæ defecerunt. Genitrix autem Christi illa facinorosi concubitus pactum exhorruit, quæ non solum corpore verum etiam mente virgo permansit, intererat invitata conditione generis non participatione criminis; universitate nascendi, non societate peccandi, quæ ... Christo non quæ mundo consentiret immundo."

Maria ergo partem non habet in isto crimine, cui subesse debuisset ipsa conditione nascendi, sed ex parte Christi invenitur. Sed insuper **in ipso opere Redemptionis adiungitur Christo.** „Hæc igitur Mater Christi longum mundi miserata laborem, ... a proprio germine cœpit exoscere vinum. Quando autem angelo credidit, tunc pro mundo suggessit: tunc **inchoavit agere sæculi causam,** quando non trepidavit ad nuntium. Ecce enim ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. ... Ecce postmodum ex matris utero racemus divinæ prolis animatus ... natus est. Christus verus botruus continebat equidem intra se vitæ vinum; crucis accesserat prelum. Dicit Mater eius: vinum non habent. **O virgo sapientissima! modo meruisti germinatam sobolem procreare et iam botruum quæris exprimere.** Attende virgo, paulisper: præparat iudæus lignum, **descendat clavus in botruum et tunc exire poterit vinum ... Aderit virgo, certa dies, qua prematur fructus tuus et tuam ipsius animam pertranseat gladius,** ut contristeris de botruo pendente quem profuderas ex radice."[1]

---

[1] Sermo CXVIII ap. Mai, Nova Bibliotheca Patrum, Romæ 1852, Typ. Prop. t. I p. 247—249.

Ad sermonem 118 unde desumpsimus hunc textum adnotat Eminentis-

Ergo Maria intervenit in ipso opere Redemptionis sub cruce.

Quam firmiter in traditione radicatum fuerit, quod **ipsum opus Christi divinæ Matri vindicetur** manifeste apparet, ex homiliis vel ipsius **Photii** auctoris separationis ab ecclesia non satis deplorandæ. „Benedicta in mulieribus, quod muliebris lapsus perditionem revocasti, dedecus obsequii erga seductionem in laudem generis commutasti. Quia in te virgine ille qui ex terra virgine Adam olim formavit ex virginibus sanguinibus tuis hodie (secundum pristinam formam) reformat hominem."[1]

Et inferius: „Hodie Adami filia protomatris Eva lapsum reparavit et inde introductam impuritatem abstulit et pulcra creatori ac venusta apparens generi humano salutis pignus affert.[2] ... Gaude Palatium non manufactum, in quo rex gloriæ vestem meam ex virginibus tuis sanguinibus purpuream formatam tamquam decus regium induens turpem nuditatem protopatris protexit. Gaude, quæ carnem creatori præbuisti, nos a debito liberasti, claustrum virginitatis non solvisti et chirographum peccati delevisti."[3]

S. Io. Damascenus († 754): „O digna Deo filia, humanæ venustas naturæ, primigenæ parentis Evæ emendatio! tuo nam-

---

simus Mai: „Sermonem hunc sumpsimus ante paucos annos ex codicis Sessoriani antiquissimo LV. folio primo, valde ob vetustatem attrito lectuque difficili; ... Quin autem sit Augustini, nemo prorsus dubitabit, cuius undequaque exspirant atque redundant ingenii argutiæ, præter illam solitam Manichæorum mentionem. Exsistit hic Augustini sermo cum titulo de nuptiis in Galilæa etiam in cod. Vetere Laureshamensi (Spic. rom. t. V p. 168.) Quamobrem geminum saltem eius testem habemus."

R. P. Casamassa O. S. A. inquisitione diligentissima et accuratissima facta censet hunc sermonem Doctori Hipponensi tribuendum non esse. Manichæorum doctrinæ fœditas iam tribunalium iudiciali inquisitione detecta supponitur, ita ut secta sese abscondere cogeretur. Hæc ætati Augustini non congruunt. Insuper modus argumentandi, dictionis etc. profunditatem et stylum S. Patris non sapiunt. Sed cum sermo certo certius sæculo VII anterior sit, probabilissime secundo dimidio sæc. V ortus sit venerandum fidei tunc vigentis documentum exstat; immo plures ista iam ætate immunitatem Virginis a labe originali eiusque associationem cum benedicto Filio in cruce et in opere redemptionis admisisse nobis cavet.

[1] St. Aristarchis *Φωτίου λόγοι καὶ ὁμελίαι* Constantin. Typ. The Annuaire Oriental and Printing Co. 1900 t. II. p. 244.

[2] Ibid. p. 372.

[3] Ibid. p. 380.

que partu, quæ ceciderat, erecta est. O sacrosancta filia, feminarum gloria! Quamvis enim prima Eva prævaricationis rea exstiterit ac per eam mors, dum illa serpenti adversus primum parentem inserviret, ingressa sit: attamen Maria divinæ obsequens voluntati, deceptorem anguem ipsa decepit ac mundo immortalitatem invexit."[1]

Cum inferius iterum Patres persectari debeamus, hæc sufficiant. Patres considerant Mariam **ut in ipsis inimicitiis contra serpentem associatam Filio,** ipsi Matri Dei tribuunt victoriam de hoste infernali. Iam age, profecto testibus Patribus Christus Satanam debellavit, deiecit in cruce; ipse solus morte sua, ut armis utens diabolum protrivit. Sed Maria **in ipso opere Redemptionis** associatur filio. Propterea ipsi vindicatur triumphus eo sensu, quod cum benedictio Filio plenissime in fructibus victoriæ, spoliis expugnatis partem habeat: quamvis titulus istis fruendi bonis profecto alius sit ac in Christo. Perscrutando autem testimonia allata unusquisque sibi persuadebit **Patres hanc identitatem victoriæ ut revelatam habuisse.** Nam ipsi ex Protoevangelio hanc doctrinam hauriunt vel potius verbum Dei exponentes et declarantes hæc statuunt.

C. Vis ac robur ipsius sententiæ Genesiacæ: **Quare nunc ipsum oraculum Genesiacum inspiciamus:**

a) Gen. 3, 14—15 continet sententiam **Dei — iudicis** condemnantis serpentem diabolum. Cum ergo Deus dicit: **„Quia fecisti hoc ..."** nempe quia seduxisti ad manducandum fructum, panditur crimen, cuius causa pœna infligitur. Nempe quia totum humanum genus adduxit in ruinam peccati originalis. Hoc enim in posteriore revelatione constanter diabolo crimini vertitur, quod peccatum et mortem induxit in genus humanum. Iam Sap. 2, 23—24: „Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, et ad immaginem similitudinis suæ fecit illum. Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum." Ubi secundum textum græcum admittere oportet saltem inclusam esse destinationem ad æternam beatitudinem; propterea dia-

[1] Hom. I. in Nat. B. V. Mariæ MG 96, 671.

bolum accusari, quod genus humanum ad peccatum seduxit et ita mortem corporalem in orbem terrarum introduxit.[1] Manifestissime autem diabolus arguitur homicidii quoad animam et corpus, nempe eo quod præcipitaverit humanum genus in perniciem peccati originalis et mortis Io. 8, 44 sqq., I. Io. 3, 8, Apoc. 12, 8; 20, 2. **Quare v. 15 damnatur diabolus tamquam auctor peccati originalis et mortis.**

b) „Inimicitias ponam": De quibusnam inimicitiis agitur? α) Vox אֵיבָה derivata ab אוֹיֵב solummodo adhibetur ad designandas inimicitias inter entia rationalia vigentes. Hic a Deo ponuntur contra diabolum **ut auctorem perniciei** originalis et quidem inimicitiæ **activæ** perducentes ad contritionem capitis serpentis. Decretum divinum ponendi has inimicitias est **absolutum.** Quare decursu temporis verificari debet insurrectio contra hostem infernalem ut auctorem ruinæ generis humani. Iam age, posterior revelatio cum allusione ad Genesim III, 15 constanter diabolum accusat tamquam auctorem lapsus originalis et mortis. Si igitur in posteriore revelatione quis insurgit **contra Satanam ut causam ruinæ** ipsumque complete devincens, sicut fortis evertens regnum eius et exspolians ipsum sua potestate tyrannica, iam nobis persuadere debemus, præcise per hanc ipsius victoriam de hoste maligno inimicitias et contritionem capitis prædictas in protoevangelio executioni mandari. In lumine istius posterioris revelationis deinde apparet in Gen. III, 15; inimicitias tales contra diabolum auctorem peccati originalis præannuntiari, **quæ sint undequaque perfectæ, quamcumque subiectionem sub hoste infernali excludentes.** β) Deus misit Filium suum Unigenitum in mundum, ut congrederetur cum hoste maligno non in sua divinitate, sed in nostra infirmitate et quidem „ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est diabolum: et liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti". In quem textum adnotat Huyghe: „mortis impe-

[1] Cf. Cornely in hunc textum Comm. in 1. Sap. p. 111-112.

rium *τὸ κράτος τοῦ θανάτου,* est potestas mortem inferendi, iuxta Gen. 3, 1—4, 19; Sap. 2, 24. Ut auctor salutis, Christus voluit potestate exuere **auctorem mortis,** qui seducendo protoparentes, mortem intulerat in mundum."[1] Cum Deus in Gen. 3, 15 inimicitias se positurum minetur contra diabolum ut auctorem peccati originalis et mortis cum Hebr. 2, 14—15 Christus pugnaverit contra hostem infernalem, ut auctorem perniciei originalis et mortis, iam patet Christum esse istud semen conterens caput serpentis antiqui. Christus ipse se designat tamquam istum fortiorem diabolo, qui hunc fortem armatum custodientem regnum suum in hoc mundo vicit et exspoliatur (Luc. XI, 21 sqq.). Victoria ista de Satana Christus potitus est morte sua in cruce, ibi triumphavit de diabolo. Postquam enim de cœlo vox resonuit: „Et clarificavi et iterum clarificabo", Christus indigitans crucem ait: „Nunc iudicium est mundi: nunc princeps huius mundi eicietur foras. Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum." Quibus subiungit Evangelista: „Hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus." (Io. XII, 31—33). Quare Ecclesia iubilans canit „et qui in ligno vincebat in ligno quoque vinceretur per Christum Dominum Nostrum". Ergo ille, qui teste Revelatione immediate debellat hostem antiquum, Christus exhibetur, sicut cum aliquis populus alium devincit proprie exercitui vindicatur victoria tamquam arma gerenti et signa cum hostibus conferenti.

Quare iam nullum dubium remanet in textu Genesiaco agi de inimicitiis absolutis contra diabolum, ut auctorem stragis originalis ibique hagiographum vaticinari istas inimicitias perducturas ad completam deiectionem, exspoliationem diaboli, proinde contritionem capitis designare completum triumphum de hoste infernali.

c) Quare nullo negotio iam patet „**semen** mulieris" **primarie** debere designare Christum. Ceteri iusti quidem victoria iam **reportata,** iam completa fruuntur iuxta illud: „Deus pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter" (Rom. 16, 20); sed in oraculo Genesiaco profecto

[1] Comm. in ep. ad Hebr. p. 80.

contritio capitis potius denotat ipsam **actualem** deiectionem, eversionem. **Victoria autem de diabolo iam complete reportata est.** „Princeps huius mundi iam iudicatus est", quia diabolus, princeps huius mundi ... iam plane **devictus et morte Christi deiectus est** ... Dicitur „Iam iudicatus est" quod iudicium in cruce morte Christi exercetur, quia Christus loquitur de suo ad Patrem reditu, proin cogitationem sistit in tempore post mortem."[1] Pariter Col. 2, 14 triumphus de Satana per mortem crucis ut iam completus supponitur. Ergo „Semen mulieris" *κατ' ἐξοχήν* ita designat Christum, ut ceteri iusti nonnisi ex consequenti et secundarie includi possint.[2]

d) Mulier semini suo Christo associatur ut constituens eadem castra adversantia diabolo et semini eius. Insuper si verba scripturæ obvie sumuntur exprimunt inimicitias mulieris eiusque seminis **easdem omnino** esse seu mulierem in hisce inimicitiis semini suo inseparabiliter iungi. Inimicitiæ enim contra diabolum **ut auctorem perniciei originalis a Deo** ponuntur; sunt ergo quid omnino determinatum et immutabiliter constitutum. Ponuntur autem inter serpentem eiusque semen, inter mulierem eiusque semen. Etiam Patres constanter associant mulierem Christo in contritione capitis serpentis. Hoc confirmatur ex lectione Vulgatæ, ubi explicite ipsa contritio capitis, ergo completa devictio serpentis infernalis ipsi mulieri vindicatur. Iam superius dictum est etsi hæc lectio sustineri critice non possit, tamen in revelatione contineri debere id, quod in hac lectione ennuntiatur i. e. victoriam mulieris **identicam esse triumpho seminis.**

Superius expositum est debellationem hostis antiqui immediate fieri per **semen** mulieris i. e. per Christum. Quare mulieri hæc victoria eadem adscribi potest, quatenus *α)* Per semen suum hostem malignum prosternit; *β)* quatenus omnia bona victoriæ ipsi communicantur,

[1] Cf. Knabenbauer in hunc locum, Comm. in Io. ed. alt. p. 481.

[2] Cf. Bover. Universalis B. Virginis mediatio ex Proto-Evangelio (Gen. 3,14-15) demonstrata: Gregorianum 5 (1924) 569 sqq.

ita tamen ut **titulus** ipsa participandi differat ab illo, vi cuius ipsi semini triumphatori proveniunt.

e) Iam inquirendum remanet, quænam sit „mulier" sacro textu designata. Notissimum est hic theologos catholicos inter se disputare, utrum mulier litterali sensu sit Maria, an litteraliter Heva, tamen typice Maria.

Quoad hanc controversiam **hoc unum** ex usquemodo discussis et probatis elucet i. e. huic mulieri **competere easdem absolutas ac plane victrices** inimicitias ac Christo.

Quare iam nequit designari **Heva mere physice sumpta,** ita ut Maria nullo modo neque **typice** exprimeretur. Nam in Heva **qua tali** inimicitiæ de quibus in textu — minime verificantur.

Mulier ergo supponit hic aut immediate pro Maria, aut litteraliter quidem pro Heva sed formaliter ut typo Mariæ seu ut Maria præfigurata. Sive priorem sequeris sententiam, sive adhæreas alteri, hoc unum remanet inconcussum **Mariam esse, quæ in lucta contra draconem intimo et indissolubili nexu associetur fructui benedicto ventris sui.**[1]

---

[1] Adhæremus illis, qui tenent mulierem Gen. III. 15 sensu litterali esse Mariam: Nam: a) Ratio præcipua adversariorum, quod mulier in toto contextu tam arcte nexo sit Heva, non evincit intentum. *α)* Distinguendo inter significationem et suppositionem vocis, concedere opportet **significationem** utique remanere eandem, at suppositionem variari posse. Nostro casu positiva ratio præsto est admittendi talem variationem. Dum enim in antecedentibus loquitur et narrat hagiographus, hic v 14-15 introducitur Deus-iudex-pronuntians sententiam in serpentem-diabolum.

β) Neve dixeris protoparentes non potuisse cogitare de alia muliere. Deus enim Vis 14-15 non alloquitur protoparentes, sed adstantibus utique protoparentibus Deus intimat pœnam serpenti-diabolo. Quare nullatenus requirebatur intelligentia huius sententiæ condemnatoriæ in protoparentibus, sed tantum in dæmone, qui utique hoc vaticinio persensit annunciationem eversionis regni sui.

b) 1. E contra rationes graves afferuntur, cur mulier litterali sensu designet Mariam I. Heva ubicumque tum in S. Scriptura tum in Traditione apparet constanter et unice exhibetur ut causa ruinæ, numquam ut illa, quæ se erexerit contra Satanam. Eccli. 25, 33; 2 Cor. 11, 3; 1 Tim. 2, 14; Quantopere Patribus hæc idea familiaris sit, ostendunt quæ referunt **Theophilus Antiochenus**: „Quoniam autem hæc Eva antiquitus a serpente decepta, et origo peccati fuit, malorum inventor dæmon, qui et Satanas vocatur, ac tum eam per serpentem allocutus est, hactenus dum in hominibus a se correptis operatur, Evam vocat." Ad quæ verba editores

Constat ergo **ipsa revelatione** doceri identitatem victoriæ Mariæ de hoste maligno cum victoria ipsius Christi Redemptoris.

Præmissa Minor: Victoria Christi (cuius Virgo est particeps) includit in se eliminationem servitutis mortis seu permanentiam in morte:

Iam probanda est **altera præmissa** argumenti i. e. hanc victoriam Christi reportari **de tribus i. e. de peccato, de concupiscentia, de morte corporali** seu triumphum Christi complecti devictionem diaboli ut auctoris istorum trium et in specie mortis corporalis:

Hic sane commemorentur verba a Patribus sat multis Concilii Vaticani subsignata: „Quum iuxta Apostolicam doctrinam, Rom. V—VIII, 1 Cor. XV, 24, 26, 54, 57, Hebr. II, 14, 15, aliisque locis traditam, triplici victoria de peccato, et de peccati fructibus, concupiscentia et morte, veluti ex partibus integrantibus constituatur ille triumphus, quem de Satana, antiquo serpente, Christus retulit; cumque Gen. III, 15 Deipara exhibeatur singulariter associata Filio suo in hoc triumpho; accedente unanimi Sanctorum Patrum suffragio, non dubitamus, quin in præfato oraculo, eadem Beata Virgo triplici illa victoria præsigni-

---

in Nota hæc adiciunt: „Theophilus non obscure indicat ipsum Satanam, dum in eis operatur, qui illius spiritu agebantur, efficere ut Evam illam peccati inceptricem vocent." Ad Autolycum II. MG VI, 1098; deinceps **Clemens Alexandrinus**: „Ac primum ecce tibi homines furoris cestro perciti Bacchum . . . celebrant . . . serpentibus coronati Evamque vastis ululatibus inclamantes, Evam scilicet illam, per quam janua est errori primum patefacta." II. Semen mulieris est solus Messias. Ipse solus deicit et debellat inimicum; corpus eius mysticum ceteri iusti solummodo sibi appropriat fructus victoriæ iam reportatæ. Propterea semen designat personam, individuum et proinde secundum modum dicendi S. Scripturæ **filium.** Tunc autem mulier debet esse mater Christi.

Neve obiciatur parallelismus inter semen diaboli, profecto multitudinem designans, et semen mulieris, quod iterum multitudo sit oportet. Considerare enim oportet, parallelismum iam non vigere, nam ex parte diaboli generatio proprie dicta non habetur, sicut habetur ex parte mulieris quoad suum semen.

2. Semen mulieris hic edicit agi de illo, qui a muliere procedit absque viro. Iam SS. Patres Leonem, Zenonem, Sophronium hoc argumentum urgere superius vidimus.

ficetur illustris; adeoque non secus ac de peccato per Immaculatam Conceptionem, et de concupiscentia per virginalem Maternitatem, sic etiam de inimica morte singularem triumphum relatura, per acceleratam ad similitudinem Filii sui resurrectionem, ibidem prænuntiata fuerit. Id quod ex naturali unitate carnis, Christum inter eiusque Matrem, illustrationem novam accipit... Et nos omnes firmiter affirmare possumus, Corpus Virginis fuisse quodammodo initium humanæ salutis, quia ex illius sanguine corpus Christi sumptum est, quod fuit nostræ salutis pretium; ideoque inconcussa fide tenendum, idem Virginis Corpus singulari modo redemptionem participasse, seu anticipatam gloriam et immortalitatem consequutum fuisse."[1]

1° Christus vicit peccatum: Io. I, 29 indigitatur tamquam agnus tollens peccatum mundi; Hebr. IX, 28; X, 12. „Delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio affigens illud cruci: et exspolians principatus, et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso." Col. II, 14 sqq.

2° Christus vicit concupiscentiam. Rom. cap. 6—8.

3° Christus devicit **mortem** corporalem: „ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est diabolum: et liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti." Hebr. II, 14: Dum antea regnavit peccatum in mortem iam scimus „quod Christus resurgens iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur" Rom. VI, 9. „Absorpta est mors in victoria. Ubi est mors victoria tua? ubi est mors stimulus tuus?... Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum." I Cor. XV, 54—57; „humiliavit semetipsum factus obœdiens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen." Phil. II, 8—9. Ubique mors regnat propter peccatum, et Christus for-

[1] Coll. Lac. t. VII col. 869-870.

maliter devicit mortem per eversionem et abolitionem peccati illius cui innitebatur imperium mortis i. e. peccatum originale. Ubi ergo habetur associatio ad Christum in pugna contra diabolum ut auctorem peccati originalis, ibi habetur associatio in victoria de morte corporali. Quia ergo Maria in victoria de peccato indissolubiliter associatur Filio Redemptori, pariter ei associari debet in triumpho de morte. **In identitate ergo victoriæ Mariæ cum triumpho Christi formaliter implicite continetur triumphus divinæ Matris de morte corporali.**

Atqui profecto si Beatissima Virgo permansisset in morte, iam victoria ipsius de morte non eadem esset ac Christi Domini. Ergo divina Mater non remansit in morte, sed quoad corpus et animam gloriose triumphat in Cœlis.[1]

---

[1] Optime Wiederkehr: Wer die Unsterblichkeit noch nicht erlangt hat (wir meinen damit das Leben in einem unsterblichen Leibe), der kann noch nicht von einem „vollsten", d. h. vollendeten Siege über den Satan reden. Der bloße „Anspruch" auf die künftige Auferstehung ist gewiß ein Sieg „in fieri", aber noch nicht „in facto esse"; der bloße „Anspruch" auf Unsterblichkeit ist ebensowenig ein „vollster" Sieg (plenissime triumphans), als das „ius ad rem" Besitz der Sache bedeutet.

Auf diesem Standpunkte steht durchaus auch die Offenbarung. In der Heiligen Schrift wird es mehrfach ausgesprochen, daß die Erlösung der gefallenen Kreatur erst dann **vollendet** ist, wenn der Tod nicht mehr sein wird, durch die allgemeine Auferstehung. Gewiß ist die Erlösung im objektiven Sinne, insofern darunter die Rekonziliation des beleidigten Gottes mit der Menschheit verstanden ist, bereits geschehen. Darauf bezieht sich ja auch das Wort des sterbenden Erlösers: Consumatum est. (Joh. 19, 30.) — Nimmt man aber „Erlösung" im subjektiven Sinne, insofern der einzelne Mensch, ja die ganze Kreatur von den natürlichen und übernatürlichen Schäden der Erbsünde — Sünde, Begierlichkeit und Tod — befreit, „erlöst" werden muß, so ist ohne Zweifel diese Erlösung noch nicht vollendet. Nach dem heiligen Johannes (Apoc. 20, 21) ist diese Erlösung erst dann vollendet, wenn der Tod nicht mehr sein wird. Das Meer wird seine Toten zurückgeben, und der Tod und das Totenreich geben ihre Toten, die in ihnen sind. Und das Totenreich und der Tod wird in den Feuerpfuhl geworfen. Dann kommt der neue Himmel und die neue Erde, und dann wird der Tod nicht mehr sein, und dann spricht der auf dem Throne sitzt: Siehe, ich mache alles neu. — Dann ist die Erlösung vollendet.

Das gleiche sagt der heilige Paulus (Rom. 8, 23) „Alle Geschöpfe seufzen und liegen immer noch in Geburtswehen, nicht allein sie, sondern auch wir selbst ..... **warten noch auf die ... Erlösung unseres Leibes** (nämlich in der Auferstehung)..... Die eigene Auferstehung ist demnach für Maria ein notwendiges Erfordernis, um von einem voll-

Doctrinam hanc perorat pariter Traditio. Ita v. gr. Christum vicisse mortem ita encomiat S. Irenæus; „Victus ... erat Adam ablata ab eo omni vita: propter hoc victo rursus inimico recepit vitam Adam; „novissima" autem „inimica evacuatur mors, quæ primum possederat hominem. Quapropter liberato homine, fiet quod scriptum est: Absorpta est mors in victoria; ubi est mors victoria tua? Ubi est mors aculeus tuus?" Adv. Hær. V, 23; MG t. VII, 964. Hæc autem Irenæus exponit, ubi in immediate antecedentibus descripsit victoriam Christi seminis mulieris de serpente.

At posset quis obicere: Ad summum probatur Mariam morte teneri non posse **titulo communis damnationis,** sed cur non alio titulo? Nam sicut in sepulchro fuit per tres dies, cur non etiam per plura sæcula, immo usque ad communem omnium resurrectionem?

Sed perpendere oportet Mariæ in S. Scriptura et Traditione vindicari easdem absolutas inimicitias contra Serpentem eandemque completam victoriam ac Benedicto Filio competit et cum victoria Christi includat triumphum de morte etiam Maria mortem **vincere** debebat.

Nequaquam sufficit, **ut non puniatur morte,** sed de morte triumphare debet victoria completa. Dispositio enim divina hic interveniens in singularem favorem Virginis ipsamque associans Filio in victoria de morte **eo ipso eximit Mariam a quovis vinculo mortis,** et quocumque titulo unde præscindendo ab hoc privilegio stringeretur. Obiectio adversarii excipientis Mariam **alio titulo** potuisse retineri a morte tantundem est ac negare præcise privilegium Virginis et participationem victoriæ Christi de morte seu **statuere istum alium titulum auferre associationem Mariæ cum Benedicto Fructu ventris sui in victoria completa.** Quævis ergo servitus mortis eliminetur, oportet.

---

ständigsten Siege reden zu können." Die leibliche Aufnahme ... a. l. p. 196 sq.; Præclare etiam Bittremieux: „B. Virgo, quamvis potuerit **mori** (quod inimicitiæ atque victoriæ non excludunt), tamen non potuit **morte superari,** adeoque gloriose in cœlum assumi debuit." De Med. univ. B. M. V. quoad gratias. Brugis 1926, Beyaert p. 187 Nota.

Urgeri autem debet iam hic, quod inferius magis declarabitur, hanc servitutem mortis reponi præcise in **permanentia in morte,** istamque esse unice pœnam peccati. Ubi ergo habetur absoluta et omnimoda oppositio ad peccatum, devictio peccati, nequit supervenire id, quod a Deo unice statutum et inflictum est tamquam pœna peccati. Inferius pariter demonstrabitur distinguendum esse et in universa Traditione distingui **inter simplicem separationem animæ a corpore** et **mortem cum insequenti corruptione seu permanentiam in morte.** Sicut ergo triumphus Christi reponitur in eo, quod ruptis vinculis mortis e sepulchro resurrexit, ita etiam **victoria** Mariæ de morte non verificatur nisi in anticipata resurrectione, ita ut corruptio et permanentia in vinculis mortis eliminentur.

Neque licet arguere ex comparatione nostri, quibus etiam victoria mortis repromittitur novissimo die, quasi pariter Virgini suffecisset resurrectio novissimo die?

Nam recogitare oportet nos victoriæ Christi Virginisque **iam reportatæ** participes evadere et a Divino Redemptore eiusque Matre e servitute liberari. Nos in vinculis eramus et vincula nostra rumpere oportet, non poterant Mariam vincula constringere neque tangere. At Maria cum ipso Christo, Filio Suo **principium** eversionis regni diaboli exstat et absolutis inimicitiis contra Satanam Filio iuncta diabolum etiam ut auctorem mortis corporis **et ipsa** devincit. Ipsa ergo a servitute mortis præservari debet ita ut mortem vincat, eo nimirum quod mors ipsam retinere non valeat, non tantum a servitute aliquando liberari. Ita Protoevangelium postulat, ita Traditio clamat. Recolantur hic testimonia superius adducta, puta S. Augustini,[1] S. Ioannis Chrys.,[2] S. Procli,[3] Theodori Studitæ,[4] Iacobi Sarugensis,[5] quæ omnimodam victoriam de diabolo Virgini vindicant, divinam Matrem in ipso opere Redemptionis Filio associant, immo ipsum opus liberationis Matri Dei tribuunt.

[1] Superius p. 47.
[2] Superius p. 49.
[3] Superius p. 43 sq.
[4] Superius p. 45.
[5] Superius p. 45.

Instabis cum clarissimo Ernst hoc argumentum tantum probare convenientiam, nequaquam necessitatem immunitatis Mariæ a permanentia in morte, cum conformitas Mariæ cum Christo non sit plena, quia secus ipsam mortem crucis vel martyrium subire debuisset. Insuper diabolum iam vinci a Maria ipsa immunitate a peccato. Propterea resurrectionem anticipatam non necessario requiri ad plenitudinem triumphi de diabolo.[1]

Nemo non videt nos nequaquam arguisse **ex completa conformitate** Mariæ cum Christo, sed ex inseparabili nexu in iisdem absolutis inimicitiis contra Satanam et identitate victoriæ. Mariæ competit eadem **completa** victoria de Satana ac Christo quamvis hæc eadem victoria **non eodem titulo** competere possit Christo et Mariæ. Quare Maria non debuit ipsa subire mortem crucis. Cum autem victoria completa Christi comprehendat devictionem mortis, identitas victoriæ Mariæ cum triumpho Christi etiam includit victoriam de morte et propterea **non agitur de mera convenientia** anticipatæ resurrectionis, sed **de revelatione eiusdem formali, quamvis implicita.**

Nec vim argumenti ullatenus extenuare poterit obiectio: Mariam Satanam iam vicisse per immaculatam conceptionem, proinde anticipatam resurrectionem non requiri ad plenitudinem triumphi de diabolo. Nam immaculata Conceptio præcise involvit associationem in **iisdem** inimicitiis **eademque** victoria completa cum Christo. **In plenitudine huius triumphi includitur omnino præservatio a permanentia in morte.**

Ad rem Mattiussi: „Dunque sarebbe davvero rimasto in potere della morte e del Serpente nemico il corpo chiuso ne sepolcro, ove naturalmente si fosse decomposto e corrotto. Al contrario la Scrittura afferma Maria vincitrice, insieme con il Figlio e per virtù di Lui, con ciò stesso afferma ch'Ella fu sottratta al potere dell'omicida. E se in questo v'è pur da fare qualche eccezione in ordine a un breve sonno, cessa ogni motivo di farla, e però con-

[1] Theol. pr. Quartalschrift 74 (1921) 385-386.

viene escluderla, in ordine alla corruzione e all'aspettare sino alla fine dei secoli la risurrezione. Come questo non fu vero per il Figlio, cosi non ebbe ragion d'essere per la Madre: anche per Lei, rispetto al peccato e alla concupiscenza, è affermata la totale inimicizia senza dubbio vittoriosa." L'Assunzione Corporea della Vergine Madre di Dio nel dogma Cattolico. Milano 1924, Soc. ed. tip. Card. Ferrari, p. 182.

Argumentum Secundum:

Immaculata Conceptio liberat Virginem a servitute mortis et corruptione sepulchri unice statuta ut pœna peccati:

II. Secundum argumentum desumimus ex immunitate a corruptione sepulchri propter Immaculatam Conceptionem:

Præambula argumenti:

Antequam hoc argumentum evolvamus aliqua de morte B. V. præmittantur:

1. Deus præternaturaliter protoparentibus contulerat immortalitatem corporis i. e. immunitatem a necessitate moriendi. Hoc donum ita describit Augustinus: „Quomodo ergo corpus nostrum dicit Apost. mortuum, cum adhuc de viventibus loqueretur, nisi quia iam ipsa conditio moriendi ex peccato parentum hæsit in prole? Animal est enim et hoc corpus, sicut et primi hominis fuit; sed hoc iam in ipso et animalis genere multo est deterius: habet enim necessitatem moriendi quod illud non habuit. Quamvis enim restabat adhuc ut immutaretur, et spirituale factum plenam immortalitatem perciperet, ubi cibo corruptibili non egeret; tamen si iuste viveret homo, et in spiritualem habitudinem corpus eius mutaretur, non iret in mortem. In nobis autem etiam juste viventibus, corpus moriturum est; propter quam necessitatem, ex illius primi hominis peccato venientem non mortale, sed mortuum corpus nostrum dixit Apostolus, quia omnes in Adam morimur."[1] Intimas rationes immortalitatis pandens Angelicus ita ait: „Respon-

[1] De Gen. ad litt. l. VI cap. 26 ML 34, 354.

deo dicendum quod aliquid potest dici incorruptibile tripliciter. Uno modo ex parte materiæ, eo scilicet quod vel non habet materiam, sicut Angelus, vel habet materiam quæ non est in potentia nisi ad unam formam, sicut corpus cœleste; et hoc dicitur secundum naturam incorruptibile. Alio modo dicitur aliquid incorruptibile ex parte formæ, quia scilicet rei corruptibili per naturam inhæret aliqua dispositio, per quam totaliter a corruptione prohibetur; et hoc dicitur incorruptibile secundum gloriam quia, ut dicit Augustinus in epist. ad Dioscorum: **tam potenti natura Deus fecit animam, ut ex beatitudine redundet in corpus plenitudo sanitatis et incorruptionis vigor.** Tertio modo dicitur aliquid incorruptibile ex parte causæ efficientis; et hoc modo homo in statu innocentiæ fuisset incorruptibilis et immortalis; quia, ut Augustinus (alius auctor) dicit in lib. de QQ. novi et vet. Testam. (quæst. 19, in principio): **Deus hominem fecit, qui quamdiu non peccaret, immortalitate vigeret, ut ipse sibi auctor esset aut ad vitam aut ad mortem.** Non enim corpus eius erat indissolubile per aliquem immortalitatis vigorem in eo existentem; sed inerat animæ vis quædam supernaturaliter divinitus data, per quam poterat corpus ab omni corruptione præservare, quamdiu ipsa Deo subiecta mansisset. Quod rationabiliter factum est; quia enim anima rationalis excedit proportionem corporalis materiæ, ut supra dictum est, quæst. 76, art. 1, conveniens fuit ut in principio ei virtus daretur, per quam corpus conservare posset supra naturam corporalis materiæ." 1 p. q. 97 a. 1 c.

Corpus Adami ergo in se dissolubile remanebat, utpote indigens cibo et potu et continua reparatione. Sed ista reparatio perfectissima fuisset, ita ut quivis languor organorum excluderetur. Necessitas ergo moriendi enascens ex ipsa natura humana præternaturaliter auferebatur.

2. Per lapsum Adami hoc donum pro omnibus posteris amissum est et in pœnam transgressionis præcepti divini mortalitas naturalis restituta est. Verba Dei Gen. 2, 17: „In quocumque die comederis ex eo, morte morieris »hunc sensum reddunt ‚**mortalis evades**'«." Gen. 3, 19, Deus pœnam ita decernit: „In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es: quia pulvis es et in pulverem reverteris." Verba hæc ponderare oportet. Sicut in verbis: „Et revertatur pulvis in terram suam unde erat, et Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum." Eccl. 12, 7 absque dubio ad **ipsam**

naturam partium alluditur, quæ humanam naturam constitunt, ita ut corpus propterea in terram revertatur, quia de terra sumptum est, spiritus vero redeat ad Deum, quia utpote independens a materia quoad esse et operari a Deo creatus est, ita similiter Gen. 3, 19 in sententia, qua pœnam peccati statuit, Deus **naturalem** conditionem hominis respicit. Verba Dei-iudicis huc redeunt: Beneficio præternaturali istam miseram sortem a te abstuleram, in quam corpus tuum naturali pondere trahitur. In pœnam igitur prævaricationis tuæ hoc corpus tuum naturali conditioni iterum relinquitur, ita ut in pulverem revertatur.

In quo ergo pœna propter peccatum naturæ statuta reponitur? Ita quærenti respondendum est: In eo præcise, quod Deus causis naturalibus mortem et resolutionem corporis adducturis, quorum influxum præternaturaliter arcuerat, iterum cursum liberum relinquit et sic naturalem corruptionem corporis restituit.

3. Distinguere oportet inter simplicem separationem animæ a corpore et mortem ut pœnam peccati, seu mortem, quæ **regnat** . . .[1] quæ ante Christi victoriam dominabatur . . .[2]; imperio suo homines constringit . . . et sub sua servitute retinet, i. e. **permanentiam in morte** vel **mortem cum insequente corruptione.**[3] Iterum aliud est aliquem causis naturalibus **adduci ad mortem** — aliud **aliquem subiacere dominio mortis, seu mortem ipsum retinere posse vinculis suis.** In Christo Domino mors causis naturalibus adducebatur, at minime Christus subiacebat **dominio** mortis propter potestatem illam in sacrosancta anima Redemptoris iugiter exstantem, qua potuisset in sensu composito omnium tormentorum per se mortiferorum conservare unionem substantialem inter corpus et animam, qua etiam poterat seipsum suscitare a mortuis. **Videbimus Traditionem constanter urgere distinctionem inter mortem, ut meram separationem animæ a corpore et perma-**

[1] Rom. 5, 14.
[2] Rom. 6, 9.
[3] Hebr. 2, 14.

nentiam in vinculis mortis seu mortem cum corruptione annexa.

4. Iamvero hæc altera mors, **quæ est servitus mortis** nequit **contrahi quin sit pœna** ita nempe ut mere vigeat ut adducta naturalibus causis, sed non ut pœna, **quia præcise pœna contra peccatum Adami statuta est naturalis mortalitas restituta et perducta usque ad resolutionem** corporis.[1] **Distinctio ergo inter permanentiam in morte ut ex naturalibus causis adductam** et **ut pœnam peccati inanis et ficticia prorsus est.**[2] Quare si quis peccatum non contrahit nequit subiacere illi, quod **unice** stabilitum est **in pœnam hujus peccati et si in tali persona innocente admittitur naturalis mortalitas, hæc nequit se protendere nisi usque ad separationem animæ a corpore exclusa permanentia sub dominio mortis et corruptione.**

Etenim 5. Mortis pœna non est statuta nisi contra illos, qui peccatum ipsum contraxerunt, nequaquam infligitur

[1] L'introducteur de la mort est le péché d'origine. C'est avec lui qu'elle pénètre dans les fils d'Adam; . . . . Ainsi ces deux morts, la mort du corps et la mort de l'âme, se tiennent par un lien d'origine, et l'une est la conséquence de l'autre.

C'est pourquoi Marie, préservée de la mort de l'âme en vue de sa divine maternité, doit l'être aussi de la corruption qui est proprement la mort du corps. La loi même qui nous assujettit à la corruption, l'en exempte: car suivant cette loi la mort est l'effet du péché.

Elle est morte pourtant; mais d'une mort qui n'a pas été celle des pécheurs. La mort, comme effet du péché, emporte avec elle la corruption de la chair; de cette chair de péché qui, même après la purification de l'âme, doit être détruite et refaite, avant de participer à la vie glorieuse. Aussi bien, n'est-ce pas simplement à la mort, mais à la mort qui dissout et corrompt, que le souverain juge a condamné l'homme coupable et déchu. Telle ne pouvait être, et telle ne fut pas la mort de l'innocente Marie. S'il a fallu qu'elle vécût comme nous dans un corps passible, et que sa bienheureuse âme se détachât pour un instant de son corps, ça été la conséquence d'une économie supérieure dont nous avons dit plus haut les raisons. Mais ces raisons même n'exigeaient qu'un Passage rapide, où la corruption n'aurait point de part, où la mortalité se hâterait de faire place à l'immortalité. Terrien, La Mère de Dieu, Paris, Lethielleux t. II[5] p. 397 sq.

[2] Animadvertatur nos asserere permanentiam in morte **contrahi non posse quin sit pœna.** Profecto non negamus quempiam posse **libere** subire onus aliis impositum tamquam pœnam, puta si quis missionarius cum illis qui ad metalla damnati sunt miseram vitam degeret, ut illos Christo lucrifaceret. Sed omnino negamus **in vi legis disponi posse,** ut præcise illud, quod tamquam pœna statutum est, **ab insonte contrahatur,** quamvis non titulo pœnæ.

propter **merum debitum** peccati **licet proximum.**[1] „Sunt tria de ratione pœnæ. Quorum unum est quod habet respectum ad culpam; dicitur enim proprie aliquis puniri quando patitur malum pro aliquo quod commisit. Habet autem hoc traditio fidei, quod nullum nocumentum creatura rationalis potuisset incurrere neque quantum ad animam neque quantum ad corpus neque quantum ad alia exteriora **nisi peccato præcedente vel in persona vel saltem in natura.**" „Vindicta ... fit per illationem pœnæ. Est autem de **ratione pœnæ** quod sit contraria voluntati, et quod sit afflictiva, **et quod pro aliqua culpa inferatur;** et ideo iratus hoc appetit ut ille cui nocumentum infert, percipiat, et doleat, et quod cognoscat, propter iniuriam illatam sibi hoc provenire."[2] **Ubicumque Sacræ Litteræ pœnam commemorant culpam indigitant propter quam a Deo infligatur.**[3]

6. In protoparentibus Deus gratiam sanctificantem naturæ humanæ addiderat instar accidentis **naturæ speciei.** „Iustitia ... originalis, in qua primus homo conditus fuit, fuit **accidens naturæ speciei** non quasi ex principiis speciei causatum, sed tantum sicut quoddam donum divinitus datum toti naturæ."[4] ... Et iterum: „Sicut **ad personam** pertinet aliquid secundum seipsam, et aliquid ex dono gratiæ, ita etiam **ad naturam** potest aliquid pertinere secundum seipsam, scilicet quod causatur ex principiis eius, et aliquid ex dono gratiæ. Et hoc modo iustitia originalis ... erat quoddam donum gratiæ toti humanæ naturæ divinitus collatum in primo parente."[5]

[1] S. Thom. De Malo q. 1. a. 40.

[2] S. Thom. 1/2 q. 46 a. 6 ad 2um.

[3] „Strafe kann man nur erleiden entweder für eine eigene Sünde oder für eine fremde Sünde, an der man Anteil hat, oder für eine fremde Sünde, an der man zwar keinen Anteil hat, für die man aber freiwillig für andere die Strafe übernimmt. (In diesem Sinne kann man sagen, Christus habe den Tod als ‚Strafe erduldet'.) — Wer absolut keinen Anteil an einer Sünde hat, auf den kann man Defekte häufen, soviel man will: es kann niemals für ihn eine Strafe bedeuten." Wiederkehr, Die leibl. Aufnahme a. l. p. 183 sq; — pœna infligitur a iustitia vindicativa; siquis sententiam iustitiæ vindicativæ præveniens recompensationem offert, **satisfacit,** sed **non punitur. Christus satisfecit, punitus non est.**

[4] S. Thom. 1 q. 100. a. 1 c

[5] S. Thom. 1/2 q. 81. a. 2 c.

Igitur gratiæ sanctificanti inquantum erat dos **naturæ speciei** Deus annexuerat dona præternaturalia, inter quæ immortalitatem. Gratia sanctificans **inquantum donum naturæ speciei** amissa est pro omnibus prævaricatione Adami. Ex meritis passionis Christi nobis restituitur gratia sanctificans, sed non est alligata **naturæ speciei,** sed **personæ.** Iustificationi autem **hoc modo collatæ** præternaturalia non annectuntur pro hac vita mortali. Quæcumque autem gratia nunc confertur vi meritorum Redemptoris.

7. Hæc videbantur præmittenda, ut diiudicare possimus illa, quæ de B. Virgine asseruntur et argumenta quædam, quæ proferuntur. a) Aliqui exinde, quod Mater Dei peccatum naturæ non contraxit, inferunt illam **eo ipso** fuisse in statu iustitiæ originalis; propterea ipsi competivisse donum immortalitatis. Quo supposito ita arguunt: Beatissima Virgo invenitur in statu iustitiæ originalis; unde ipsi competit donum immortalitatis. Ergo Virgini **ius** remanebat, ut non moreretur. Ergo quamvis propter conformitatem cum Filio mortem oppetierit, istud ius clamat, ut Mater Dei non remaneat adstricta servituti mortis, sed resuscitetur ad novam vitam.

Quibus alii adversantes observant gratiam Virginis provenisse ex meritis Redemptoris; nequaquam autem gratiæ meritis Christi acquisitæ annecti præternaturalia, puta donum immortalitatis. Propterea isti auctores negant Maiorem. Ad quæ dicendum est: 1. Iure negatur vi Immaculatæ Conceptionis Mariam iam fuisse in statu iustitiæ originalis. Ex altera parte non debet ex morte Virginis statim concludi ipsam non fuisse in statu innocentiæ nec quoad ius retinuisse immortalitatem. A fortiori non licet asserere dona præternaturalia ita pro tota natura humana amissa esse, ut Maria illa possidere **non potuerit.**[1] Sed 2. Redemptionis Christi intuitu abundantiori

[1] „Bei Kurz, Mariologie, S. 103, lesen wir: ‚Maria ist ohne Makel der Erbsünde empfangen und geboren, sie ist geschmückt mit allen Gaben und Vorzügen der menschlichen Natur (donis naturalibus), sie ist erfüllt von den höchsten Gnadenvorzügen, mit der höchsten Heiligkeit und Gerechtigkeit, deren ein Geschöpf fähig ist (donis supernaturalibus); aber

modo nobis restituuntur illa, quæ in Adamo perdidimus et pro altera vita dona præternaturalia **eminentiori modo** nobis conferentur. Neque quidquam obstat, quominus Virgini **speciali modo redemptæ** dona iustitiæ originalis accesserint iam pro hac mortali vita. At hoc **non ex mero facto Immaculatæ Conceptionis deducendum,** sed **specia⸗liter** probandum est.

Quare nos argumentum ita ponimus:

Ipsum argumentum:

a) Innitimur doctrinæ S. Scripturæ: B. Virgo immunis est a peccato originali, ergo immunis esse debet ab illis, quæ non sunt nisi pœna peccati originalis; atqui **perma⸗nere** in morte, subici corruptioni non est nisi pœna pec⸗cati originalis; ergo B. Virgo non potuit **permanere** in morte, sed corpore et anima vivit in gloria cœlesti.

Antecedens revelatum est; Primum consequens censeri debet revelatum, nam ubicumque S. Scriptura attestatur pœnam tantam infligi propter peccatum:[1] nam ubicumque S. Litteræ plagas inflictas esse narrant etiam culpam com⸗missam commemorant. Percurrat quis historiam populi electi, ubi constanter Deus accusat populum, quod ipsum ad iracundiam provocaverunt vel prout apud Isaiam 1, 2

---

sie konnte die dona prænaturalia nicht erlangen, weil sie durch Adams Sündenfall für die gesamte menschliche Natur verloren gegangen, ... und darum ist auch Maria, obwohl ohne Erbsünde empfangen und geboren, nicht frei von Schwächen und Hinfälligkeiten der menschlichen Natur.' Diese Gedankenkonstruktion trifft nicht ganz das Richtige. Gewiß war es in dem göttlichen Plane der Erlösung der Menschheit gelegen, daß in diesem Leben mit der Vergebung der Sünde, speziell mit dem Nachlaß der Erbsünde, die restitutio in integrum für die dona prænaturalia nicht zusammenfällt und verbunden ist. Aber damit wäre eine ausnahmsweise Restitution der dona prænaturalia (im ganzen oder im einzelnen) zugleich mit der Wiederherstellung der Gotteskindschaft an sich nicht ausgeschlossen; nur müßte die Ausnahme von der Regel als ein besonderes Gnadenprivilegium hier ebenso erst festgestellt werden, wie die ausnahmsweise vollkommene Befreiung Mariä von der Erbsünde." Ita Ernst: „Die leibliche Himmelfahrt Mariä und das Dogma von der unbefleckten Empfängnis", in Theol.-prakt. Quart. 74 (1921) 228.

[1] Cum **utraque** præmissa sit **formaliter revelata** iam patet id quod fluit ab ipsis pariter **formaliter verbum Dei** censeri.

queritur, quod ipsum spreverunt etc. Insuper etiam axiomatis instar Deus insistit in eo, quod non castiget quemquam nisi propter suum peccatum. „Quid est quod inter vos parabolam vertitis in proverbium istud in terra Israel dicentes: Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupescunt?“ Ab hac accusatione Deus se defendit: „Vivo ego, dicit Dominus, si erit ultra vobis parabola hæc in proverbium in Israel ... anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.“[1]

Iam primæ paginæ Geneseos nobis hoc axioma manifestant, quando peccato arvis paradisi defœdatis vox Dei — iudicis intonuit: „Quia hoc fecisti ... et quia audisti vocem uxoris tuæ ... maledicta terra in opere tuo:“[2]

Neque tantum peccatis personalibus hoc applicandum remanet, sed etiam peccato illi, quod omnes filii Adam tristissimam hæreditatem ab ipso contrahunt. Ita enim ait Apostolus: „Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo (eo quod) omnes peccaverunt.“[3]

Immediate quidem, cum illud **„omnes“** complectatur omnes descendentes ab Adamo usque in finem sæculorum, ergo etiam nondum existentes — istis verbis nequit exprimi nisi lex, iuxta quam omnes naturali via ab Adamo descendentes contrahere **debent** peccatum. Sed pœna mortis singulis profecto infligi nequit, nisi postquam ad existentiam pervenerunt et proinde peccatum contraxerunt. Item Deus tantopere insistit, quod mortem non fecerit, sed quod peccato tribuenda sit.[4]

Minor probatur: Deus protoparentibus hoc donum contulerat ut possent non mori i. e. non subiacere naturali corruptibilitati et arcere decreverat influxum causarum naturalium ad mortem perducentium. Igitur quando

[1] Ez. 18, 2 sqq.; item Jer. 31, 29; Bar. 6, 2; Eccli. 11, 28
[2] Gen. 3, 14, 17.
[3] Rom. 5, 12.
[4] Sap. 1, 13.

Deus Gen. 3, 19 condemnavit Adam: „In sudore vultus tui vesceris pane donec revertaris in terram de qua sumptus es, quia pulvis es, et in pulverem reverteris" — auctor vitæ hac sententia statuit, ut in pœnam peccati causis naturalibus, quarum influxum corrumpentem antea præternaturaliter abstulerat, iterum cursum liberum relinqueret. Ergo mors causis naturalibus adducta et usque ad insequentem corruptionem vel permanentiam in morte perducta est pœna peccati et propterea **non contrahitur** nisi ut sequela peccati.

Rom. 5, 12 nonnisi per peccatum mors intravit in orbem terrarum. Hebr. 2, 15 imperium mortis est sequela lapsus.[1]

Nihilominus sunt, qui contra hoc argumentum obiciant: Ex immunitate a labe originali nondum sequitur exemptio a morte, cum mors sequatur ex duplici causa adæquata: a) Ex positiva sententia Dei-iudicis statuentis mortem tamquam pœnam lapsus; b) ex causis naturalibus; ubi autem res quædam habet duplicem causam adæquatam, altera i. e. peccato originali eliminata remanet altera sufficiens. Nequaquam ergo immaculata conceptio arcet a Virgine mortem, sed tantum impedit, quominus mors infligatur **ut pœna.**[2]

---

[1] Iterum monemus, nos non arguere exinde quod B. Virgo propter immaculatam Conceptionem fuerit **in statu iustitiæ originalis prædita proinde dono immortalitatis**, ita ut etiam morte intercedente **ius** non moriendi manserit. Nam quamvis non usque eo procedamus, ut ista dona Virgini in terris degenti denegemus, tamen concedimus possessionem eorum non sequi ex mero facto Immaculatæ Conceptionis, sed specialiter probandam esse; et licet huic decori Virginis aliqui textus Traditionis faveant, ab hoc argumento afferendo abstinemus.

[2] Die theologische Deduction, welche zur Conclusion der leiblichen Aufnahme vordringen soll, bewegt sich in alter und neuerer Literatur gerne vom Dogma der Unbefleckten Empfängnis oder, allgemeiner gesagt, von Mariens Sündenfreiheit aus. In großen Zügen lautet sie ungefähr so: „Tod und Grab sind Folgen und Strafen der Erbsünde. Maria aber war ohne Erbsünde, also auch ohne ‚debitum moriendi', d. h. sie war der allgemeinen Todesstrafe und der Strafe der Verwesung nicht unterworfen. Also ist ihre leibliche Aufnahme nichts anderes als die gebührende Respektierung dieser Sündenfreiheit. Dagegen wird geltend gemacht, daß Maria tatsächlich gestorben ist. Wenn aber die Sündenfreiheit Mariens ihren **Tod** nicht hindern konnte, warum soll sie dann eine Grabesruhe bis zur allgemeinen Auferstehung unmöglich machen und eine anticipierte Auferstehung einschließen? . . . In der Tat ist zuzugeben, daß die Tatsache der

At qui ita obicit præscindendo a iam superius dictis non satis perpendit Immaculatam præcise immunitate a macula originis constitui sociam Filii in inimicitiis gerendis contra Satanam; proinde ipsam **vincere** debere cum Christo peccatum et sequelam ipsius **mortem.** Hoc autem non obtigisset, si supposita morte ipsius non triumphasset de morte effringendo vincula eius. Ergo **sola** Immaculata Conceptio adæquate sumpta postulat eliminationem **permanentiæ sub servitute mortis.**

Insuper hic recordanda est distinctio superius exposita et prout apparebit a Traditione suffulta **inter simplicem separationem animæ a corpore** et **permanentiam in morte vel mortem cum insequente corruptione.** Hæc **ulterior** statuitur a Deo tamquam pœna peccati et quidem superius iam vidimus Deum præcise resolutionem corporis naturaliter sequentem, quæ beneficio præternaturali ablata erat, restituisse in pœnam. Deus poterat concedere Immaculatam Conceptionem et relinquere mortalitatem **naturalem usque ad separationem animæ a corpore, sed exclusa permanentia in vinculis mortis et corruptione.** Neve quis dicat hæc omnia dependere a libera dispositione Dei, proinde nihil concludi posse.

Profecto Deus potuisset Immaculatam Conceptionem non concedere Virgini, at non potuit concedere immuni-

---

Unbefleckten Empfängnis für sich allein noch keinen stringenten Beweis für die leibliche Aufnahme liefert. . . . Wenngleich sich mit Sicherheit aus der Tatsache der Unbefleckten Empfängnis ableiten läßt, daß Maria **von seiten der Abstammung weder Tod noch Grab** verfallen war, so ist damit noch nicht gesagt, daß Gott **aus anderen Gründen,** z. B. Gründen, die mit dem Erlösungswerke zusammenhangen, auf Maria nicht trotzdem diese oder andere Defekte belassen habe." Ita Wiederkehr, Die leibliche Aufnahme a. l. p. 172 sq Anders verhält sich aber die Sache, wenn man nicht bloß die Tatsache der Unbefleckten Empfängnis allein, sondern in Verbindung mit der Lehre von der Mitwirkung Mariens zur Basis der Beweisführung nimmt. Ita Wiederkehr, Die leibl. Aufnahme a. l. p. 172-173.

„Nachdem Adam das Privileg der Unsterblichkeit für alle verscherzt hatte — in Adam omnes moriuntur —, so ist Gott allen gegenüber — vollständig frei. Er kann Unbefleckte Empfängnis geben und die Sterblichkeit belassen, oder Unsterblichkeit auf dem Wege geben, den er für gut befindet, z. B. auf dem Wege über Tod, Grab und Verwesung. Es folgt logisch nur, daß, wer die Erbsünde nie hatte, den Tod nicht als Strafe haben kann." Wiederkehr ibid. a. l. P. 179.

tatem a labe naturæ et simul Virginem subicere illi, quod statutum est in pœnam huius peccati naturæ. Neque licet urgere Deum potuisse relinquere Virginem corruptioni **ex causis naturalibus adductæ dummodo hoc non esset in pœnam.** Nam pœna statuta est præcise ista, ut quis relinquatur **corruptioni naturaliter sequenti** prout supra dictum iam est. Propterea etiam Angelicus proclamata immunitate Virginis a maledictione contra Hevam lata, proinde **a pœna** non dubitat, statim inferre Assumptionem ad cœlos: „Tres maledictiones datæ sunt hominibus propter peccatum ... Tertia fuit communis viris et mulieribus, scilicet ut in pulverem reverterentur? Et ab hac immunis fuit Beata Virgo: quia cum corpore assumpta est in cœlum: **credimus enim quod post mortem resuscitata fuerit, et portata in cœlum.**"[1]

Demum Traditio **permanentiam in morte, retentionem in vinculis mortis unice tamquam pœnam considerat.** Propterea propter immunitatem a pernicie Adami, a maledictione Hevæ Mariam eximit ab hac servitute mortis, etsi mortem ex causis naturalibus i. e. **usque ad separationem animæ a corpore admittit.** Distinctionem autem **inter retentionem** in morte ut mere **ex causis naturalibus** adductam et ut pœnam statutam penitus ignorat. **Eliminata enim pernicie Adami et maledictione statim pro Virgine** præservationem **a retentione in vinculis mortis expostulat** prout ex testimoniis afferendis patebit.

b) **Idem nobis attestatur Traditio:** In Traditione, præsertim Orientali maximopere insistitur in eo, quod propter immunitatem a peccato originali B. Virgo non potuit subiacere corruptioni in sepulchro, sed debuit resuscitata transire ad novam vitam. **Distinguitur ergo inter simplicem separationem animæ a corpore et inter mortem cum insequente corruptione vel saltem permanentia in dominio mortis.**

Liturgia Mozarabica: Ex Missa in diem Adsumptionis Sancte Marie: „Qui (Dominus) inter omnia divinitus inspirata,

[1] Opusc. VI. in Salutationem Angelicam.

inter precipua atque eminentiora humano generi dona digne largita non parum est quod tribuit genitrici Filii sui gloriose Marie; dumque ideo eum post mysterium Incarnationis ... ac patule ad celum Ascensionis, nusquam prolixis temporum evis gloriosam arcessivit ad se gloria Adsumptionis. Sic vero unita carnis naturæ virginitate, consimili hodie unita tandem illius conditione sedem adiit mirabiliter Deitatis."[1]

Ex alia Missa in d. Adsumptionis: »Illatio«: „Dignis siquidem preconiis eam adornaveris infolis, (Domine) **in qua nullum habuit contagium corruptionis, ut vel tempore resolutionis morsu non timeret mortis.** In qua prorsus ab omni fuit pollutione libera, de germine niciominus gloriosa, in Adsumptione vero leta, paradisi virginumque dote prelata."

„**Nesciens itaque damna de interdictu gustu, vota laudabilia sumens de fructu:** nulliusque laboris sensit in partu, neque dolore ita meruit sensere per transitum. Non idcirco humane voluptatis fuit adstricta inlecebratione: neque obsequio funeris luctuosius perageretur veluti ut nature humane, qui talem suo in utero auctorem nostræ iam portarat vite ..."

»Post Sanctus«: „Sit tibi (Domine) ob inde laus Genitoque tuo cum Spiritu Sancto, **qui nostro vere destruxisti mortis dominio tuamque post Matrem glorificasti in transitu suo.**"

»Benedictio«: . Dominus Ihesus Christus, qui sic quoque Matrem Virginem glorificavit in transitu suo, misericorditer vos suo perducat celesti in regno ...

Ut per eam adiutricem luxu devincamini carnis incentivo, per quod eam auctorem mortis non sensit in exitu suo."[3]

Maria non gustavit fructum vetitum, non habuit contagium corruptionis, propterea Christus qui destruxit mortis dominium, quod præcise erat in permanentia in morte et corruptione ipsam glorificavit in transitu suo profecto eximens ipsam ab hoc dominio mortis i. e. a permanentia in morte, ita ut Mater Dei mortis morsum non timeret.

---

[1] Férotin: Le Liber Mozarabicus Sacramentorum et les Manuscrits Mozarabes a. l. col. 400.

[2] Ibidem col. 595.

[3] Ibidem col. 596.

Nequeunt hæc testimonia liturgiæ Mozarabicæ, Sacramentarii Gelasiani et Gothico-Gallicani intelligi de **sola integritate virginali,** ita ut non agant de immaculata Conceptione. Nam cum dicitur: Mariam nesciisse damna gustus interdicti neque peccasse summendo fructum et **id-circo** nullum laborem sensisse in partu, integritas virginalis exhibetur tamquam **consequens** immunitatis a damno communi generis humani. Pariter cum Virgo celebratur ut libera a maledictione Hevæ et contagio corruptionis hæc primarie designant in Traditione immunitatem a radice totius perniciei i. e. a labe originali. Immo virginitas in partu insignitur tamquam perfectissimus modus libertatis a pœnis illa maledictione intimatis. Quapropter liturgiæ tam explicite de Immaculata Conceptione loquuntur quam illam, ubi aguntur de integritate virginali connotant et supponunt ut fundamentum huius privilegii.

Quare cum liturgiam Mozarabicam testem traditionis Assumptionis Matris Dei quoad corpus ut sequelæ Immaculatæ Conceptionis invocaverimus suppositum argumentationis nequaquam denegari potest. Iterum in probatione non institimus dictioni „Conceptionis Immaculatæ", quam quis in sensu Conceptionis activæ seu Conceptionis Virginalis interpretari posset. Neque profecto pro valore argumentationis nostræ existentia proprii festi Immaculatæ Conceptionis supponitur. Quapropter probatio allata nullatenus concuteretur si constaret de illis, quæ inter alios clarissimus Ferreres contra existentiam talis festi inter Visigotos et Mozarabes affert: „De lo expuesto hasta aqui sie infiere: 1°. que la fiesta denominada ... festum Virginis Sancte Marie quo gloriosa eiusdem genitricis conceptio celebratur, es la fiesta de la Annunciación de la Santísima Virgen y Encarnacion del Hijo de Dios, que se celebraba en España à 18 de Diciembre;

. . . . . .

3°. que la fiesta de la Santísima Virgen, que ahora celebra la Iglesia à 8 Diciembre, no parece fué celebrado ni

por los Visigodos ni por los Mozárabes."[1] Hanc quæstionem agitare supersedere possumus.

Sacramentarium Gothicum (Gallicanum) in Contestatione: „Dignum et iustum est omnipotens Deus, nos tibi merito gratias agere tempore celeberrimo, die præ ceteris honorando ... quo Virgo Dei Genitrix de mundo migravit ad Christum. Quæ nec de corruptione suscepit contagium, **nec resolutionem pertulit in sepulchro;** pollutione libera, germine gloriosa, assumptione secura, paradisi dote prælata; nesciens damna de coitu, sumens vota de fructu; **non subdita dolori per partum,** non labori per transitum, nec vita voluntate, nec funus solvitur vi naturæ ... cuius iuvenculæ melius prædicantur merita, cum veteris Evæ conferuntur exempla. Si quidem ista mundo vitam protulit, illa legem mortis invexit: illa prævaricando nos perdidit, ista generando salvavit. Illa nos pomo arboris in ipsa radice percussit; ex huius virga flos exiit, qui nos odore reficeret, fruge curaret. Illa maledictionem in dolore generat; ista benedictionem in salute confirmat. — Illius perfidia serpenti consensit, coniugem decepit, prolem damnavit; huius obœdientia Patrem concialiavit, Filium meruit, posteritatem absolvit. Illa amaritudinem pomi succo propinavit; ista perennem dulcedinem ... Ad te ergo, revertimur, **Virgo fœta, Mater intacta, nesciens virum puerpera,** honorata per Filium, non polluta ... Recte ab ipso suscepta es in Assumptione feliciter, quem pie suscepisti conceptura per fidem ut quæ terræ non eras conscia, **non teneret rupes inclusa."**[2]

Ergo quia Maria libera erat a maledictione contra Hevam sancita et quia non de corruptione suscepit ne contraxit contagium labis originalis, nec resolutionem pertulit in sepulchro — et quæ terræ non erat conscia, **illam non debebat tenere rupes inclusam.** Rationes hic expositæ omnino sunt **dogmaticæ.**[3]

---

[1] J. B. Ferreres: Maria por España y España por Maria. Apéndice: La Inmacolada Concepción entre los Visigodos y Mozárabes. Barcelona 1910, Tip. Católica. p. 253-254.

[2] The Ancient Liturgies of the Gallican Church by J. M. Neale and G. H. Forbes. Burntisland 1855, Pitsligo Pr. p. 58-59.

[3] De ætate compositionis Sacramentariorum Occidentalium ita iudicat **Janot:** „On sait combien il serait malaisé de fixer à nos liturgies Occidentales une date de composition. Dans l'ensemble les manuscrits qui nous les livrent furent écrits du septième siècle au début du neuvième.

Item Sacramentarium Gregorianum in die Assumptionis hanc habet precem „Veneranda nobis Domine, huius est diei festivitas, in qua Sancta Dei Genitrix mortem subiit temporalem, nec tamen nexibus mortis deprimi potuit, quæ filium tuum dominum nostrum de se genuit incarnatum."[1]

Item **Sacramentarium Gelasianum:** „Veneranda nobis domine huius est diei festivitas, in qua sancta dei genitrix mortem subiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, que filium tuum dominum deum nostrum Iesum Christum de se genuit incarnatum, cuius intercessione quæsumus, ut mortem evadere possimus animarum."

De ce fait, on pent, semble-t-il conclure légitimement que les plus anciens de ces manuscrits nous rapportent un usage déjà courrant au siècle qui précède." „L'Eucharistie dans les sacramentaires Occidentaux." Rech. de Science Rel. 17 (1927) 6.

[1] Das Sacramentarium Gregorianum nach dem Aachener Urexemplar. Ed. H. Lietzmann. Münster 1921, Aschendorff p. 88; cf. eiusdem auctoris: Handschriftliches zur Rekonstruktion des Sacr. Gregorianum in Misc. Fr. Ehrle vol. II. p. 141. Roma 1924, Bibl. Apost. Vat. De origine ætateque huius liturgiæ ita disserit clarissimus Mohlberg: „Fino ad oggi il **Liber Sacramentorum Romanæ Ecclesiæ** del sec. VII era noto soltanto per una lettera, scritta tra il 784 ed il 791, da Papa Adriano I. a Carlo Magno, o, per meglio dire, non lo si conosceva affatto. Lo si poteva solo indirettamente riconoscere nella nota che con ogni probabilità l'Anglosassone Alcuino pose nel suo Sacramentario . . . Communque, solo attraverso questo lavoro critico di Alcuino si intravedeva il vero **Liber Sacramentorum di Gregorio.** . . . La storia ulteriore di questo Sacramentario, mandato alla corte dell' Imperatore in Aquisgrana e ritoccato da Alcuino, è nota. Esso réstò quale esemplare nella biblioteca di corte di detta città, e fu ricopiato per le chiese franche. A tutte le copie veniva preposta la nota **ex authentico libro bibliothecæ cubiculi scriptum.** Che questo „Cubiculum" non fosse. . . . la biblioteca privata del Papa ma la biblioteca di corte di Aquisgrana ha riconfermato recentemente il Lietzmann. L'„Authenticum" poi era l'originale, che Adriano I. aveva mandato a Carlo Magno. Cosi almeno si ammetteva sino ad oggi. . . . Gli studi condotti sino ad ora sono accontentati di queste notizie sul vero Sacramentario Gregoriano, nè si sono curati di saperne di più. Il Bäumer, per esempio, ha cercato, insieme col Bishop, di risolvere la questione, davvero non oziosa, circa il Sacramentario pregregoriano, il cosidetto Sacramentario di Gelasio. . . . Il Baumstark però ha risposto, negativamente alla questione del Bäumer, se cioè nella Chiesa romana vi sia stata, prima di Gregorio Magno, una raccolta ufficiale di preghiere della messa e se sia giunta a noi anche con sucessive aggiunte romane od anche extra-romane. Fino a qual punto tal giudizio sia esatto, non può per momento stabilirsi." Atti della Pontificia Accad. Rom. di Arch. ser. III Mem. v. II. Il Messale Glagolitico di Kiew (sec. IX?) ed il suo propotipo Rom. del sec. VI.-VII. di C. Mohlberg, Roma 1928, Tip. Pol. Vat. p. 247-249.

Et iterum: „Omnipotens sempiterne deus, qui terrenis corporibus verbi tui et veritatis, filii tui scilicet unigeniti, per venerabilem ac gloriosam semperque Virginem Mariam ineffabile mysterium coniungere voluisti, petimus immensam clementiam tuam, ut quod in eius veneratione deposcimus, te propiante consequi mereamur."[1]

---

[1] Das fränkische **Sacramentarium Gelasianum** in alamannischer Überlieferung. Ed. C. Mohlberg, Münster 1918, Aschendorff p. 168 et 169; quoad hoc Sacramentarium hæc affert clarissimus editor:

„Circa la patria e l'età del Gelasiano del sec. VIII. Baumstark ritiene doversi risolvere tali questioni collegandole col nome di Præietto di Clermont, morto nell'anno 676. La patria dovrebbe ricercarsi nella sfera di Clermont o di Flavigny . . . Communque . . . e ciò è sicuro la patria del nuovo Sacramentario gelasiano deve ricercarsi in una badia benedettina della Francia orientale." Mohlberg, Atti d. P. Acc. Rom. di Arch. 1928 sect. III. Mem. v. II. p. 267-268; „Circa il tempo della composizione il E. Bishop diceva:" As a matter of opinion i am disposed to place the origin of the Gelasianum sæculi VIII. at about A. D. 750-760 and so to bring it into connection with the Romanizing movement of the time of Pippin. There are considerable difficulties in the way of placing it much earlier or much later. „Successivamente tale data è stata stabilita più indietro di un decennio e cioè nel 740. Il Baumstark la retrocede persino di un cinquantennio: tra il 676 ed il 747." Ibid. p. 268.

Et alibi: „E'dimostrato quindi vi fosse un Gelasiano in più libri, per l'Italia e per il secolo VI; ed io non posso trattenermi più oltre dal esprimere l'impressione che ho da gran tempo, che l'esemplare del Sacramentario gelasiano di Coira (San Gallo 348) sia originario dell' Italia settentrionale." Ibid. p. 275.

„Da tutti questi indizi sorgono serie difficoltà contro l'ipotesi di domiciliare il Gelasiano del secolo VIII in Inghilterra, come vuole ultimamente il Baumstark. . . . Che il Gelasiano del secolo VIII non possa, o almeno non debba necessariamente esser stato redatto in Inghilterra, si può dedurre dalla lettera di Alcuino dell' anno 801 al vescovo Eanbaldo. . . .

Nella prima metà del detto secolo VI, pertanto, il **Liber Sacramentorum Romanæ Ecclesiæ** si accresceva e si sviluppava tuttora. E si accrebbe ancora più tardi. Quanto con l'andare del tempo si fosse sviluppato, ce lo dimostra la critica di Alcuino sul Sacramentario del secolo IX. Ma nella sua sostanza il **Liber Sacramentorum** era compiuto sin da Gregorio. La notizia di Giovanni Archicantor ci fa cosi chiaramente riconoscere il carattere e, sopratutto, la storia del detto Liber Sacramentorum: i suoi primi inizi si hanno con Leone, il primo fondamentale ordinamento lo compì Gelasio, una nuova redazione ne fece Giovanni, l'ultimo più grande miglioramento e l'ultima edizione sono dovuti a Gregorio." . . .

„Abbiamo ancora una volta la conferma di quanto siano fondate le antiche tradizioni. Con quale esatezza si esprimono, nel caso nostro, i documenti, quanto attribuiscono a Papa Gelasio un maggior lavoro intorno alle preghiere ed alle formule liturgiche. Il perchè proprio il suo nome rimase cosi tenacemente e profondamente nella tradizione, ce lo mostrano chiaro le notizie del Arcicantore Giovanni: Gelasio e dopo Leone e prima di Gregorio, il Papa che codificò primieramente le formule liturgiche. Solo uno dei suoi successori, il Papa Giovanni, . . . sembra

Io. Damascenus: „Non enim anima tua in infernum descendit, nec caro tua corruptionem vidit. Non est relictum in terra immaculatum, omnisque labis expers corpus tuum: sed in regias cœlorum sedes, regina tu, ... veraque Dei Genitrix translata es."[1] Secundum Damascenum mors Mariæ non iis quibus apud nos rationibus adducitur: „Quo autem modo, o immaculata, morti obnoxia efficeris?"[2] Immaculata conceptio ergo eximebat Virginem a lege mortis.

Alibi S. Doctor: „Olim Deus mortalis ac generis primos satores, cum se inobœdientia mero ingurgitassent, ... e paradiso Eden exterminavit: nunc vero illam quæ vitii omnis impetum excussit, Deique et Patris obœdientiæ germen produxit, et universo mortalium generi vitam incohavit, paradisus non exceperit? annon cœlum fores suas reserabit? omnino sane. Eva siquidem quæ serpentis nuntio aures præbuit, hostisque suggestionem auscultavit, sensu suo per falsæ ac fallacis voluptatis assultum delinito, mœroris et tristitiæ sententiam rettulit, ut dolores partus sustineret et una cum Adamo morte condemnata, in imis inferni recessibus collocatur? hanc autem vere beatissimam quæ Dei verbo aures submisit et Spiritus Sancti operatione impleta est, atque archangelo sequestro, de complacito Patris, prægnans effecta, **quæque sine voluptate ac viri congressu Dei Verbi personam, ... concepit, ac pro eo, ut decebat, sine doloribus peperit,** quæque totam se cum Deo copulavit, **quomodo mors devoraret?** quomodo inferi susciperent? **quomodo corruptio corpus illud invaderet, a quo vita suscepta est? Abhorrent hæc alienaque omnino sunt, a Deifera illa anima et carne. Ipsius enim aspectum mors quoque pertimuit: quippe quæ, cum ipsius Filium adorta esset, ex his quæ pertulit, erudita, periculo suo prudentior evaserat.** Hæc quidem horrendos inferni descensus nequaquam trivit, sed recta ei, plana, et facilis ad cœlum parata est via. Cum enim Christus ..., dicat: „Ubi ego sum, illic et minister meus erit"; cur non multo magis cum eo mater ipsius domicilium habeat? **Ut enim antequam parturiret, peperit, ita ipsius etiam e vita discessus doloribus caruit.** Mors quidem peccatorum pessima: at de ea **in qua stimulus mortis, peccatum nempe, enecatum esset,** quid tandem dicamus, nisi eam vitæ perennis ac potioris

---

sia ritornato sul lavoro di Gelasio. Tutti gli altri tra Gelasio e Gregorio si dedicarono ciascuno ad un lavoro diverso: Simmaco creò nuove formule per il suo uso, Bonifacio curò il canto." Ibid. p. 275-276.

[1] Hom. II in Dormitionem B. V. Mariæ M G 96, 719.

[2] Ibid. col. 734 C.

principium fuisse?"[1] In sequentibus deinde describit Damascenus assumptionem quoad corpus in cœlum.

Maria ergo iuxta verba Sancti Doctoris libera est a maledictione, id quod etiam alibi urgetur: „Salvesis, sola inter mulieres benedicta, **quæ primæ parentis Evæ lapsum restaurasti** ... Salvesis, sola inter mulieres benedicta, ... quæ sola Christum Deum simul et hominem sine viri opera concepisti et sine dolore pepercisti...."[2] „Per quam (Mariam) primigeniæ matris Evæ luctus in gaudium est commutatus." Illa ... divinæ sententiæ decreto audivit: „In mœroribus paries": hæc; „Ave, gratia plena". Illa, „ad virum erit conversio tua:" Hæc „Dominus tecum".[3] Quare iam peccatum originale, causa maledictionis in Virgine inveniri nequit. Propterea est „emendatio Evæ". Quantum dein illa verba attinet „in qua stimulus mortis, peccatum nempe, enecatum esset..." hæc perpendere oportet:

I. Nequaquam hæc verba ita exponere licet, ac si ideo in Maria peccatum enecatum diceretur, quia Filium genuit destructorem peccati, ita ut non ageretur **de subiectivo decore** Virginis seu de exemptione a peccato ipsius Virginis. Nam de decore **subiectivo** ipsius Matris Dei agi sequitur: a) Ex oppositione ad verba antecedentia „Mors peccatorum pessima". Sicut enim peccatum impiis **inhærens** mortem pessimam causat, ita peccatum quod Virgini **inhabitare debuisset sed enecatum est,** causa evadit vitæ perennis et potioris. b) In antecedentibus Maria iam dicitur libera a maledictione Hevæ, ergo illud peccatum, quod ratio existit maledictionis filiorum Hevæ, Mater Dei non contraxit.

II. Cum in verbis istis alludatur ad 1. Cor. 15, 56 audiatur Cornely: „Ex peccato mors totum habet suum robur vel „suam naturam" (Theod.), siquidem per peccatum mors in mundum intravit et in omnes, quia peccato infecti sunt pertransiit... Peccatum porro, quod mortis aculeus vel stimulus vocatur, est originale *(ἡ ἁμαρτία)*,

[1] Hom. II in Dormit. Deiparæ n. 3 MG. 96, 727.
[2] Hom. in Annunt. B. Virginis Mariæ ibid. col. 655 A.
[3] Hom. in Nat. B. V. Mariæ n. 1. ibid. col. 662.

quo omnes homines sunt infecti quodque occasionem et incitamentum a lege accipiens in iis operatur omnem concupiscentiam."[1]

III. Maria ergo immunis est a labe originali et maledictione contra Hevam pronuntiata **et propterea mors eam devorare et corruptio sacrosanctum corpus invadere non debet.** Immo mors aspectum Matris Dei pertimuit. Sicut enim eo quod Filium adorta erat, devicta et omni prorsus dominio exspoliata est, sic quia adoritur Matrem victoriæ Filii participem, devincetur.

S. Andreas Cretensis († 720): „puto ... valde consequens ac commodum ut et vestigando, quæ **ad sacræ huius semper Virginis** occultam gloriosamque dormitionem spectant ... contemplationis divinorum amantibus opponam. Quippe ut quod est vere fateri oporteat, **et ad hanc usque progressa est mors naturalis non tamquam velut carcere cohibuerit, quemadmodum accidit in nobis, autve sibi subiecerit, apage, nisi quantum oportuit, ut somnum illum ceu exstaticum quendam, ut ita dicam, impetum experiretur, quo a terrenis ad bona illa in spe posita** in deiformem quendam statum immutati transmittimur: ac qualis exempli causa fuit primus ille somnus, quem primus dormivit homo, cum costa ad humanæ speciei completionem subtracta quod deesset abstractæ partis recepit. In hunc arbitror modum soporata **et ipsa equidem gustavit mortem, haud tamen detenta mansit,** nisi tantum ut naturæ legibus cederet."[2] Describit deinde S. Pater cur mortem subierit et ad inferos descenderit, ut experimento in eis quid ea haberent cognosceret. Sed deinde paulo inferius prosequitur, Matrem Divinam ipsam loquentem inducens: „Quid enim ad maiestatem maius, quam ut vocer simque Dei mater? Meæ autem ab humanis in alias et cœlestes sedes migrationis, clariorem certa coniectura notitiam habueritis a loco unde translata terreni huius tabernaculi, virginalis inquam **et assumpti a Deo corpusculi,** conspersio migravit ex qua simplex Iesus compositionem adscivit. Nam quisquis velit dicta omnia certa coniecerit ex visis." Ibid. col. 1055.

---

[1] Comm. in 1 Cor. p. 514 sq.
[2] In Dormit. S. Mariæ I MG 97, 1051-1054.

Et alibi: „Quicumque per spiritualem contemplationem cœlesti ac purissima luce **illius scientiæ, quæ nescit errorem,** illuminamur, et per eam Spiritus disciplinam, quæ verbis non traditur, ad sublimia divinæ sapientiæ dogmata rationabiliter manu ducimur, eia agite, ... ad spirituales ac splendidissimas Deiparæ epulas simul omnes accurramus, ... ipse quoque Christus ... hoc palam ponit ob oculos, dum suam ipsius matrem secundum carnem, ad quam desuper a superna sede descendit, ut nostram naturam indueret, ab huius terræ regionibus ceu reginam universi hominum generis transfert, mysterio, quod magnitudine sua inaccessum sit verbis iuxta ac mentibus, occultans qua tandem sede eam collocaverit quove eam extulerit."[1]

Ex his clare patet, quo censu S. Pater hanc doctrinam intelligat. Ipsam tuetur ut provenientem **ex illa cœlesti scientia, quæ nescit errorem.** Quare minime veritati correspondet, quod dictum est, argumentum pro Assumptione Virginis quoad corpus remanere tandem aliquando etiam pro S. Andrea Cretensi sepulchrum vacuum. S. Pater quidem ipsam Divinam Matrem sepulchrum vacuum indigitantem introducit tamquam argumentum certum pro gloria sui corporis. Sed minime hoc factum a S. Andrea æstimatur unicum argumentum neque argumentum *κατ' ἐξοχήν*. Ipse enim hanc gloriam considerat tamquam sequelam Sanctitatis omnimodæ, immaculatæ et prout ex verbis inferius citandis apparebit tamquam decus proveniens Matri Dei ex immunitate a maledictione Hevæ et partu virginali.

S. Ioseph Hymnographus: „Læti cantemus Domino, qui suam incontaminatam et omni sanctitate præditam in carne matrem transtulit ad terram viventium: ... et vero mortem quodammodo sustinuisti, tu quæ talis Filii Genitrix fuisti, qui mortem attulit inferno, quique mortuis hominibus per te nunc vitam elargitur ... In cœlestia tabernacula fuisti tu sublata, o castissima et nullis subiecta Virgo maculis, quod eras nimirum multo maxime purum Dei templum." — Specie notanda est ode 7ª ubi textus Græcus ita habet: *Νόμους τῆς φύσεως λαθοῦσα τῇ κυήσει σου,*

[1] Ballerini Syll. II, 689-691.

τῷ ἀνομίμῳ νόμῳ θνήσκεις, μόνη ἁγνὴ ζωώσασα τοὺς πάλαι νενεκρωμένους ἄχραντε ζωηφόρῳ τοκετῷ σου.[1]

Lex mortis **illegaliter** applicatur Mariæ seu mors Virginis tamquam **illegalis** designatur, **quia Maria immaculata prorsus est.**

S. Germanus postquam immaculatam omnimode sanctitatem Virginis extulit, ipsam tamquam ontologicam rationem affert incorruptionis in sepulchro. „Nihil enim caro tui spiritus virtuti ac efficaciæ officit; quippe tuus ille spiritus ubi vult spirat ... incorruptus ac incontaminatus ... Tu iuxta quod scriptum est ‚speciosa es': tuumque illud corpus virginale, totum sanctum est, totum castum, totum Dei domicilium, **ut ideo quoque a resolutione in pulverem deinceps sit liberum:** quod quidem ceu humanum, ad summam incorruptionis vitam sit immutatum; sitque nihilominus ipsum incolume ac prægloriosum; ... quatenus impossibile erat, ut mortuorum sepulchro clausum teneretur quod vas Dei susceptivum esset."[2] Et alibi: „Facessat in te mors, o Deipara, quod vitam mortalibus produxeris. Facessat in te sepulchrum, quando inexplicabilis sublimitatis divinum facta es fundamentum. Facessat pulvis; nova quippe informatio es, quod iis, qui in limo luti corrupti essent, Domina facta sis."[3]

S. Anastasius Antiochenus sæc. VI. „Verbum enim quod in principio erat Deus, cum vellet fieri homo, quia non posset homo aliter salvus fieri ingressum est in uterum virginalem et **omnis corruptionis expertem:** erat enim Virgo casta spiritu et corpore."[4] Et alibi: „quam ob rem cum omnibus generationibus te solam beatam in mulieribus dicemus, quam neque sol, voluptatis flammam immittens adussit, neque fluxa vis lunæ nocte læsit ... teque Dominus custodivit, in te solus ingrediens ac ex te egrediens clausamque ac obsignatam in æternum servans. Salvesis ergo, Mater pariter ac Virgo, vitæque cibus ac fons immortalitatis: ex te enim is prodiit, qui interemit corruptionem ac mortem destruxit."[5] — Cum hic Maria dicatur in æternum obsignata et salutetur fons immortalitatis etiam corporalis quia ex ipsa prodiit auctor vitæ, qui corruptionem et mor-

[1] Mariale, MG 105, 999-1002.
[2] In Dormit. B. Mariæ I MG 98, 346.
[3] In Dormit. B. Mariæ II MG 98, 358.
[4] Oratio III de Incarnatione MG 89, 1338.
[5] Sermo II in Annunt. intem. Deique Genitricis M. MG 89, 1378.

tem destruxit ... hic iterum habemus indicatam immaculatam conceptionem tamquam radicem incorruptionis quoad corpus.

S. Modestus († 634): „Ex hac enim perpetua Virgine Christus Deus, carne ex Spiritu Sancto indutus animata et mente prædita, illam elegit et **concorpore induit incorruptibilitate,** ac supra modum glorificavit, ut sua esset heres, utpote Sanctissima Sua Mater; iuxta ea, quæ cecinit Psaltes: ‚Adstitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumamicta varietate.'"[1] — Et inferius: „o beatissima dormitio gloriosissimæ Deiparæ, post partum semper Virginis; quæ corporis, quo vita continebatur nullam passa est in sepulchro corruptionem, carnem servante, qui ex ea natus est ... O beatissima dormitio gloriosissimæ Deiparæ, per quam accepimus — remissionem peccatorum nostrorum —, et e diaboli tyrannide redempti sumus. O beatissima dormitio gloriosissimæ Deiparæ, per quam renovata est universitas rerum."[2]

Ergo Virgini competit eadem incorruptibilitas ac Christo et proinde etiam corruptio sepulchri arcenda est a Matre Dei, ut et quia sanctissima. At quomodo cum veritate asseri potest nos e tyrannide diaboli redemptos esse hac gloriosa dormitione, quomodo inde universitas rerum renovata?

Perpensio huius nexus a S. Modesto asserti nobis introspicere permittit intimam istam fidem, quæ Patres animabat, quæ vigebat in cordibus eorum, qui auditores dociles eorum doctrinam excipiebant. Intantum enim dormitione Virginis cuiusvis corruptionis experte redempti sumus e tyrannide diaboli, in quantum præcise tropæum est eius victoriæ de hoste maligno, quæ identica victoria Virginis est, qua regnum diaboli eversum est; item intantum „universitas rerum renovata" dici potest dormitione gloriosa, inquantum manifestatio est immunitatis a labe originali, proinde in Maria restitutio **naturæ** in illum statum, prout vigebat ante peccatum.

S. Proclus, quem Virginis immaculatam conceptionem encominare superius vidimus, iam hanc immaculatam

[1] Encomium in B. Virginem MG 86b, 3290.
[2] Ibid. col. 3294.

extollit: „Ipsa, floridus ac immarcescibilis hortus, in qua lignum vitæ plantatum universis libere fructum immortalitatis præbet."[1]

Ex omnibus istis apparet: 1. **Patres distinxisse inter mortem i. e. separationem animæ a corpore** et **mortem cum insequente corruptione seu permanentia in dominio mortis.** Tamquam **pœnam peccati** exhibent mortem cum insequente statu corruptionis et propterea nobis statuta est resolutio corporis. **In hisce constanter remittunt vel alludunt ad Genesim 3, 19.** 2. Patres Beatissimam Virginem propter immunitatem a peccato originali eximunt ab hac corruptione sepulchri tacite supponentes istud axioma ex exemplis in sacris litteris adductis haustum et etiam aperte doctrina S. Scripturæ inculcatum: **pœnam non infligi nisi propter peccatum.** 3. Patres ergo immunitatem Mariæ a corruptione sepulchri hauriunt ex revelatione, quippe illam considerant ut formaliter implicite revelatam in istis principiis et proinde cum explicite docent Assumptionem quoad corpus et animam, pariter ipsam exhibent ut a Deo revelatam.

Secundum Patres immunitas a maledictione Hevæ Mariam liberat a servitute mortis:

Huc accedit solemnissima ista protestatio Patrum, qua Mariam eximunt a **maledictione** Adæ et Hevæ inflicta. Sicut enim ista maledictio tamquam primariam pœnam involvit mortem et quidem **mortis dominium,** unde ab hinc terrigenas vinculis suis constrictos retinet eorumque corpora fœdæ corruptioni subicit, ita immunitas a tali maledictione expostulat libertatem a servitute mortis et corruptione sepulchri.

Theodotus episcopus Ancyranus qui Ephesi contra Nestorium, quamvis amicum pro viribus veram fidem defendit, ita Archangelum Gabrielem salutantem Virginem introducit: „»Ne timeas Maria«, Deo sponsa, ... Non conceptionem in iniquitatibus, aut partum in peccatis tibi sum annun-

[1] Oratio de laudibus Mariæ MG 65, 758.

tiaturus, sed gaudium expositurus quod Evæ tristitiam auferat. Non partum in doloribus, luctuve plenam enixionem annuntio, sed nativitatem presigno, quæ consoletur ac lætitiam afferat.... Propter te cessaverunt Evæ tristia; per te perierunt mala; ... **per te maledictio** abolita; Eva per te redempta."[1]

Ergo maledictio non tantum **per** Mariam cessavit, sed etiam **pro** Maria ipsa, nam libera est a doloribus partus, quæ præcise in ista maledictione infliguntur.

Neve pigeat audire laudem Virginis contextam ab infensissimo, adversario maternitatis divinæ: „sic et de filiorum procreatione non absolute ad Evam deus post peccatum dicebat: »**paries filios**« sed: in mœroribus paries filios. Nuptiæ namque divinæ munus sunt bonitatis,... multiplices autem genitus in parturitione feminarum pœna peccati est; et parere quidem non est maledictum;... in tristitia autem parere, hoc ex maledicto illo onus trahitur post peccatum... In mœroribus paries filios, huic sententiæ socium est, quod nascitur, et, quod parit, unum eorum in mœroribus pariens, alterum vero in mœroribus nascens. Sed miserator Dominus non despexit illos naturæ fœtus condemnatos, sed feminæ in uterum adveniens, vertit in illa matre consuetudinem pariendi et mutavit in illa partuum leges (parturitiones enim Sanctæ Virgini immunes a mœroribus præparaverat) et **naturæ humanæ matrem donavit innuptam,...** Respice omnium harum tristium sententiarum a Christo præstitam resolutionem: „multiplicans multiplicabo tristitias tuas et gemitus tuos" per hoc solvit, ubi dictum est: Ave, gratia Dei plena; „in tristitia paries filios" solvit per id quod scriptum est: „Benedictus fructus ventris tui."[2]

Attentionem hic merentur, quæ edisserit **Nestorius:** „Iustum enim erat, **naturam, quæ offenderat, hanc, denuo deo placitam, liberare, et iustum est, obnoxiam quondam, quæ debitum incurrit, absolvere** ... propterea Christus debentis suscepit

[1] Homil. VI in S. Deiparam MG 77, 1428.

[2] Loofs Nestoriana a. l. p. 326; hoc testimonium clare manifestat virginalem partum consideratum fuisse tamquam perfectissimum modum immunitatis a doloribus partus, proinde a maledictione Hevæ.

personam naturæ et per eam debitum tamquam Adæ filius reddidit. Oportebat enim debitum luentem ex genere deduci eius, qui id aliquando contraxerat. ex muliere debitum, ex muliere absolutio ... ex inobœdientia in ligno pœnæ Adam debitor fuit; reddidit et hanc Christus, in ligno obœdiens factus ... et quidem qui reddebat pro nobis, Christus est; in ipso autem **nostra debitum natura solvebat ...**

Vide nunc naturam nostram in Christo apud deum causam adversus diabolum perorantem et iustis hisce utentem allegationibus: iniuria opprimor, iustissime iudex, diabolus me iniquus impugnat, evidenti adversus me utitur impotentiæ tyrannide. esto priorem Adam tradiderit morti, quia eius peccati occasio fuerit; secundum iam, quem ex virgine figurasti, ob quam, rex, noxam crucifixit? ... aperte (mihi) tamquam imagini tuæ, domine, invidet. sine ulla occasione irruens in me, subvertere me nititur. sed tu mihi iustum te iudicem tribue, iratus es mihi causa prævaricationis Adæ, pro quo si habes Adam sine peccato tibi coniunctum, ut propitieris exoro. esto propter illum corruptioni (me) tradideris, propter hunc de incorruptione participa. de mea uterque eorum natura est ... sicut enim protoplasti tenuit diabolus culpam adversus omnem eius posteritatem et originariam habuit actionem, sic, inculpatas in Christo primitias massæ suæ natura cum possedisset, adversus diabolum nitens ipsis vincebat defensionibus, de quibus adversarius præsumebat."[1]

Natura humana manifeste introducitur ut exsurgens contra diabolum, propterea secundus Adam nasci debuit e stirpe primi, ut uterque eiusdem esset naturæ. Hæc natura humana profitetur se peccatum contrahere ex protoparente, sed immaculatam protestatur se inveniri in Christo. Insuper dum se morti et corruptioni obnoxiam agnoscit, ubi culpam ex primo Adamo contraxit, ab hac corruptione immunem se esse debere vindicat, ubi a culpa libera invenitur. Propterea ipsam in Christo vinculis mortis retineri non licebat, sed Christus a mortuis resurrexit. Ergo ubi natura absque culpa inducta a protoparente exsistit, a corruptione saltem sepulchri eximi ipsam oportet. En quomodo natura humana perorans apud

[1] Erster Sermon gegen das *θεοτόκος*, genannt Anfang des Dogmas Loofs, Nestoriana. p. 255-257.

deum prosequitur. „in Christo enim iustissime primitiarum suarum contra eum inculpatam originem profert, si priores ex Adam reatus causas diabolus ingerit. et hoc est, quod Paulus ait: Christus mortuus est pro peccatis nostris, immo qui et resurrexit, ... interpellat namque pro nobis a Christo tamquam vestis induta natura nostra, libera prorsus ab omni peccato et inculpabilis originis suæ defensionibus nitens, sicut ad pœnam ex peccato ille, qui prior figuratus est, suo generi exstitit causa. hæc suscepti hominis occasio, ut homo per carnem dissolveret, quæ per carnem orta est corruptio. huius hominis, non deitatis, tertii diei sepultura est;[1] ... de hac carne dominus ad Iudæos: solvite, inquit, hoc templum, et in triduo suscitabo illud."[2] Cum ergo, sicut in Christo natura victrix exsurgit contra diabolum, propterea vincula sepulchri effrangere debet, — ipsa etiam in Maria huius eiusdem immunitatis a peccato particeps sit et victriciter diabolum protriverit, pariter a corruptione sepulchri præservari debet.

S. Sophronius: „Ne timeas Maria; invenisti enim apud Deum gratiam" perire nesciam; ... invenisti apud Deum gratiam, quæ nullo impetu quatiatur; invenisti apud Deum gratiam plane invictam; invenisti apud Deum gratiam perenniter duraturam. Et alii quidem, iique plures, ante te eximia sanctitate floruerunt. Sed nemini quemadmodum tibi, plena gratia impertita est. Nemo, sicut tu, beatitate auctus est: nemo, sicut tu, ad tantum magnificentiæ est evectus: **nemo, sicut tu, purificante gratia præoccupatus est:**[3] nemo, sicut tu, splendida luce est circumfusus: nemo,

---

[1] Vix opus erit monere, nos virus hæreticæ impugnationis unionis hypostaticæ hic et alibi reicere.

[2] Ibid. Loofs Nestoriana p. 257-259; hæc doctrina Nestorii commemoratione speciali digna est, quia evidenter hausta e veneranda traditione Ecclesiæ Syriacæ.

[3] „Merito quæri hic potest, quid sibi velit S. Sophronius, cum inquit, **Virginem Mariam purificante gratia præoccupatam fuisse,** seu magis ῥητῶς Virginem (utique ope gratiæ) **præmundatam** fuisse. Nam si **generatim** sermo esset de gratia humanam voluntatem præveniente, sane obvius foret sensus, atque ad illud fidei dogma propositio referenda esset, quo adversus hæreticos Pelagianos ac Semipelagianos profitemur, gratiam divinam humanis meritis non rependi, sed eandem prævenire humanum quodlibet non modo opus bonum, sed etiam desiderium, ipsumque credulitatis affectum. At enim liquido apparet sancti doctoris sententiam nullatenus huc spectare posse. Ut enim reliqua prætermittamus, quis non videat, Sophronium singularem aliquam Deiparæ prærogativam celebrare his verbis voluisse? ... Sententia igitur S. Sophronii, ad quidpiam aliud est

sicut tu, cœlesti lumine refulsit; nemo, sicut tu, præ omni celsitudine exaltatus est.... Et propterea tibi clamavi... „Ave, gratia plena, Dominus tecum; benedicta tu in mulieribus." Ne expavescas ad verba mea;... non struo dolos hominibus funestos; **non adveni, ut genitricem mortis invidiam conservis meis propinem:** pavorem omnem abige e corde tuo;... non asto tibi tremendus, **utut maxime tremendum cæteris omnibus me exhibeam,** neque præfero dignitatis meæ majestatem; novi enim quamnam præsens alloquar...[1]

Notatu dignum est, angelum Gabrielem paucis antea (col. 3243) dixisse: „Non sum ei similis, qui mortem præ invidia generavit, et universos homines obnoxios morti effecit: non sum ei similis, **qui universos homines e limo terræ conditos,... divini præcepti effecit prævaricatores, ac rursus in terræ limum convertit...**" Pœna ergo prævaricationis est mors cum resolutione in sepulchro. Maria hic extollitur **ut purificante gratia præoccupata, sicut nemini alii obtigit.** Ergo ab illa prævaricatione præpurgata est, sicut nemo alius. Agitur ergo de **singulari præpurgatione,** seu præmundatione iuxta textum græcum: *Οὐδεὶς κατὰ σε προκεκάθαρται.*

Iam age, S. Ieremiam et Ss. Præcursorem Domini ante Nativitatem a labe originali purgatos esse S. Sophronius probe noverat. Ergo præpurgatio in Virgine efficere debuit, ne labem universalem incurreret. Perpendatur in toto contextu Mariam eximi a maledictione Hevæ et constanter iuxtaponi eius sanctificationem illi gratiæ **conge-**

---

referenda, quod et capax sit purificationis per gratiam, quodque purificatio ipsa prævertere aliquo vero sensu dicatur. At vero tale aliquid evidentissime habes in ipsa humana Deiparæ natura. Purificationis enim non capax modo, sed et indiga per se in præsenti conditione, est humana natura, quippe in primo parente vitiata: tum autem etiam prævertere naturam purificatio rectissime dicitur, cum gratia purificans non iam inductam delet culpam, sed ne inducatur antevertendo impedit. Et hunc quidem sensum ipsa Sophronii verba important. **Singularis** enim Virginis prærogativa in eo statuitur, quod ipsa **præpurgata** fuerit *(προκεκάθαρται),* dum ceteri Adæ filii non **præpurgari,** sed **purgari** dicuntur. At quodnam demum discrimen inter **purgatum** et **præpurgatum** reperias, nisi quod illic maculam purgatio subsequitur, ut eam auferat, hic prævenit, ne inficiat? Singulare igitur privilegium quod eo loci Sophronius de beata Dei Matre deprædicat, nullum est aliud, quam singularissima eiusdem ab originali infectione præservatio." Ita editores in Nota MG 87, 3247.

[1] Or. II. in SS. Deiparæ Annunt. MG 87, 3246-3247.

nitæ, unde Heva excidit et opponi Hevæ maledictæ. Sin autem Maria immunis a prævaricatione, quæ universos homines e limo terræ conditos **rursus in terræ limum convertit, iam non subiacet pœnæ statutæ i. e. conversioni in terræ limum i. e. corruptioni sepulchri.** Propterea angelus tam blande consolatur præ omnibus ceteris Virginem timescentem: „Non adveni, ut genitricem mortis invidiam conservis meis propinem." ... **Ergo quia Maria singulariter a labe originali præservatur, eximitur a servitute mortis et resolutione in sepulchro.**

Specialem attentionem merentur, quæ ad hunc passum clarissimus Iugie optime adnotat: „Dans cette envolée oratoire un mot est particulièrement important. C'est le verbe *προκεκάθαρται*. Aucun saint n'a été comme Marie, purifié, sanctifié à l'avance. Que faut-il entendre par cette purification préalable? Ne serait-ce point la préservation de la tache originelle dont parle la définition de Pie IX? Antoine Ballerini l'a pensé: »Le privilège de Marie, dit-il, consiste en ce qu'elle a été purifiée à l'avance, tandisque les autres fils d'Adam sont simplement purifiés. Entre la purification pure et simple et la purification préalable, il y a cette différence que dans le premier cas la purification est postérieure à la souillure, tandisque dans le second la purification la prévient, c'est-à-dire qu'elle est une véritable préservation. Cette interprétation paraît légitime et nous y souscririons sans réserve, si nous n'avions remarqué qu'assez souvent les Byzantins, à la suite de S. Grégoire de Naziance, emploient le verbe *προκαθαίρεσθαι* pour désigner du moins à ce qu'il semble, la purification de Marie par l'Esprit-Saint, immédiatement **avant** l'incarnation du Verbe, purification qui comme nous le verrons plus loin, et comme nous le savons déjà par saint Sophrone lui-même, ne doit s'entendre que d'une augmentation de pureté et de sainteté.

Toutefois, comme rien dans le contexte ne met la purification préalable dont parle Sophrone en relation avec la descente du Saint-Esprit au moment de l'incarnation, il est parfaitement permis de l'entendre au sens indiqué

par Ballerini, d'autant plus que tout dans ce magnifique passage suppose l'Immaculée Conception et deviendrait une misérable hyperbole, dans l'hypothèse où la Vierge aurait contracté la souillure originelle." Revue Augustinienne 16 (1910) 571.

Tantum autem abest, ut contextus suggerat istam interpretationem purificationis antecedentis præcise descensum Spiritus Sancti momenti incarnationis, ut illam penitus excludat. Prout Editores recte monent Mariæ sanctificatio hic in antecedentibus iuxtaponitur illi Hevæ **congenitæ,** a qua tamen protomater excidit, dum Maria perseveravit atque perstitit. **Agitur ergo de privilegio Virginis origini conserto.** „Facillime patet, gratiam Deiparæ haud *ὑπέρλαμπρον,* aut *ὑπέρφωτον,* aut *πολύευκτον* præ gratia Evæ dici posse, nisi Evæ consortem Deiparam in eo statuas, quod ad primam spectat originem."[1]

S. Basilius Seleuc. imprimis protoparentibus damnatis ad mortem opponit divinum Salvatorem et Mariam novam Hevam. Si Maria opponitur Hevæ ut damnatæ ad mortem, si in ipso Chirographum disruptum est, hæc sententia Gen. 3, 19 nequit valere pro Maria. Notetur Mariam tamquam **sponsam Christo associari in ipso opere salutis,** cum Christum vocet sponsum Mariæ.

„Hanc sententiam progenitores damnationis suæ tulerunt. Tu vero ne salutis spem proieceris: ... Namque Christi præsentia longe potentior est protoplasti voracitate, et hominum genere pergulam nefariam in fraudem inducto, Unigenitus, contrariis medicamentis curans vulnera de homine corpus, in quod se insinuaret, delibavit, et secundum Adamum sibi circumiecit ... **Serpentinæ fraudi tropæum** (obiecit) **quod per hominem contra diabolum statuit, Evæ virginem absque maledicti acerbitate parientem,** et fetum virgineum a veteris culpæ ægritudine librum, et innuptam puellam, quæ **sponsum generavit immortalem.**"[2]

„Alvum sanctam, Deique receptricem! in qua disruptum est peccati chirographum."[3] Huc pertinent omnes illi tex-

[1] Oratio in SS. Deiparæ Annuntiationem MG 87, III. p. 3245.
[2] Oratio III n. 4 MG 85, 62.
[3] Oratio XXXIX n. 3 MG 85, 438.

tus, in quibus mors devicta dicitur, quia Filium Dei adorta est; quapropter postea Mariam adoriri pertimuit, utpote victoriæ Filii participem. Ita **Io. Dam.**: „Ipsius (Virginis) ... aspectum mors quoque pertimuit: quippe quæ, cum ipsius Filium adorta esset, ex his quæ pertulit, erudita periculo suo prudentior evaserat.[1]

Item in textu S. Gregorii Nysseni inferius afferendo, ubi iterum inculcatur Mariam eandem cum Filio victoriam reportasse.

Hæc victoria Christi de morte in Vetere Testamento iam prædicta erat. Ad verba Osee: „De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua o mors, morsus tuus ero inferne" Osee 13, 14 hæc adnotat Knabenbauer: „Plerique (hæc verba Osee) de redemptione per Messiam afferenda explicant ... et certe verba ita sunt conformata, ut plenissimam victoriam, ... mortis abolitionem enuntient."[2]

Præclare **Liturgia Græca** laudibus effert Assumptionem corporalem Virginis tamquam fructum Immaculatæ Conceptionis:

Echos 4. „Postquam in manus illius qui pro nobis caro factus est ut Creatori tuo et Deo animam commendaveras ad vitam intemeratam transiisti, quare fiducia te beatam dicimus **tamquam unice puram et immaculatam.**"[3]

Agi de Assumptione ad vitam **quoad corpus** patet ex illis, quæ habentur in ode III: „Vere præter exspectationem (paradoxa) facta est sicut graviditas tua, o immaculata, ita divina et venerabilis translatio tua. Elevata es ad cœlestia tabernacula, sanctissima, quæ fuisti Dei, pura Virgo, purissima possessio."[4]

---

[1] Hom. II in Dorm. B. V. Mariæ n. 3 MG 96, 727.

[2] Comm. in Osee ed. 2ª p. 201

[3] *Ἦχος δ΄: „Ἐν χερσὶ τοῦ δι' ἡμᾶς ἐνανθρωπήσαντος ἐκ σοῦ παραθεμένη τὴν ψυχὴν ὡς πλαστουργῷ σου καὶ Θεῷ, πρὸς τὴν ζωὴν τὴν ἀκήρατον μεταβέβηκας ὅθεν σε πιστῶς μακαρίζομεν ὡς μόνην καθαρὰν καὶ ἀμόλυντον·", Μήναια τοῦ ὅλου ἐνιαυτοῦ. Ἐν Ρώμῃ* 1902. *Τομος ς΄* p. 398.

[4] *Ὠιδὴ γή: „Γέγονε παράδοξος ὥσπερ ἡ κύησις Ἄχραντε σοῦ ἀληθῶς οὕτω καὶ ἡ θεία καὶ σεπτή σου Μετάστασις. Ἤρθης πρὸς σκηνώματα*

Profecto tantum resurrectio et translatio ad tabernacula cœlestia **secundum carnem** vocari possunt paradoxæ, præter cursum ordinarium naturæ sicut graviditas absque viro.

Ode I: „Exsultemus Domino, qui in terram viventium transtulit sanctissimam Matrem", suam secundum carnem, istam immaculatam. Ut videas pulchritudinem et perfruaris florenti statu corporis Filii tui, Virgo ad ipsum translata ascendisti. Quomodo mortem subiisti, quæ interfectorem hadous concepisti, qui mortuis hominibus per te vitam benigne contulit.[1]

Ultima hæc propositio perspicue ostendit Mariam **utpote Matrem immaculatam** mortem non subisse **ea lege** qua **nos** morti subicimur, morti cum insequenti corruptione. Propterea translata est secundum carnem in eum locum, ubi floret corpus divini Filii.

Etiam Ecclesia græca Schismatica olim tributum laudis Assumptæ obtulit:

„Sepulchrum tuum, Immaculata proclamat sepulturam tuam et translationem tuam nunc quantum ad corpus in cœlum."[2]

Quam altos radices egerit fides Assumptionis corporalis inter Græcos etiam schismaticos monumentum exstat Synodus Hierosolymitana anni 1672 „contra Calvinistas hæreticos Orientalem Ecclesiam de Deo rebusque divinis hæretice cum ipsis sentire mentientes" celebrata. Verba quidem citata in sequentibus excerpta sunt ex homilia Cyrilli Lukaris in Dormitionem B. V. Sed cum mens

---

τὰ ἐπουράνια Πάναγνε· οὖσα Θεοῦ ἄχραντε Πάρθενε, καθαρώτατον τέμενος." *Μήναια* a. l. p. 399.

[1] *Ὠιδὴ α΄:* „. . . . . *Ἄισωμεν τῷ κυρίῳ τῷ ἐν χώρᾳ ζώντων μεταστήσαντι τὴν αὐτοῦ κατὰ σάρκα Παναγίαν Μητέρα τὴν ἄχραντον. Ἵνα τὸ κάλλος βλέπῃς καὶ καταπολαύῃς ὡραιότητος τοῦ Υἱοῦ σου, Πάρθενε πρὸς αὐτὸν μεταστᾶσα ἀνέδραμες. Νέκρωσιν πῶς ὑπέστης ἢ τὸν νεκρωτὴν Ἅιδου κυήσασα καὶ νεκροῖς τοῖς ἀνθρώποις διὰ σοῦ τὴν ζωὴν χαρισάμενον.*" *Μήναια*, a. l. p. 398.

[2] „*Ὁ τάφος σου κηρύττει, Πανάμωμε, τὴν ταφήν σου καὶ τὴν μετὰ σώματος πρὸς οὐρανοὺς νῦν μετάστασιν.*" Menaion der Griechischen Kirche. Athen 1904. p. 72.

Synodi sit ostendere Orientales quoad cultum Sanctorum recte sentire, in specie quoad cultum Beatissimæ Virginis „Reginæ præstantissimæ, Dominæ ac imperatricis augustissimæ, necnon et sanctissimæ Matris", et adhibeat hanc homiliam tamquam argumentum ad hominem contra Cyrillum, verba citata approbat et sua facit. „Omnium longe sanctissimam Virginem Deiparam prædicamus ...

Stipendia enim peccati, mors. Rom. VI. Peccatum sanctissima Virgo nec habuit, nec novit. Tribus quippe modis homo peccat, nimirum cogitatione, opere, sermone. Porro cogitatione nusquam peccavit, quæ incorruptam atque impollutam undequaque mentem, utpote rerum divinarum iugi contemplatione detentam, conservavit. Opere non peccavit, quæ sole splendidor ac purior fuit; quippe sicut a cataclysmo servata est per arcam humana natura; ita qui sanctissimam inspiceret Deiparam, ab fluctibus passionum liber evadebat. Denique verbo numquam offendit ...

Nullam e contagione peccati mortis suæ causam habuit Virgo sanctissima, sed ex ipsis dumtaxat naturæ principiis, quibus vel ante peccatum homo constabat; morti quippe suapte natura obnoxius erat ille, quamvis optima. Id vero beneficii Deus illi contulit, ut in eo nequaquam operante natura, sed gratia, immortalitatem sibi conciliaret. Hoc ipsum et sanctissimæ Deiparæ contigit, quæ etsi bonis affluebat, ac peccatum nesciebat vel minimum, eadem illa, quæ morti addicunt hominem, naturæ elementa gestabat, ac pariter subinde mortalis erat. Verum eam a Deo gratiam obtinuit, ut mortem, si ita voluisset, numquam obiret, sed cælo etiamnum vitæ compos inferretur: hacce tamen prærogativa uti noluit....

Quidnam est magnum illud signum quod apparuit in cælo, ubi et Deus habitat, et cælestes virtutes assistunt? Ipsa procul dubio est Virgo sanctissima, quæ magnum in terra signum cum exstiterit, eo quod Deum in carne genuit, et post partum integerrima virgo permansit; recte iam et signum esse dicitur in cælo, eo quod ipsa cum corpore assumpta est in cælum. Et quamvis conclusum

sepulchro fuerit immaculatum corporis eius tabernaculum; in cœlum tamen, uti Christus fuerat assumptus, tertio et ipsa die rediviva migravit. Quam ob rem: quia et cœlestes in virtutes iure pollet amplissimo. Idem vero signum, eo quod lunam sub pedibus habeat, ecclesiæ, quæ in hoc mundo est, typum esse, nemo nescit; quæ suum utique ab sole lumen mutuatur: et stellis duodecim, id est, duodecim Apostolis coronatur. Præstantius autem aliquid innuitur, quod sole amicta exhibetur; hinc enim nihil ab ea distare Deum, utpote qui suis eam ulnis sustentet, manifeste demonstratur . . ."[1]

Liturgia Armena.

1° Apertissime manifestatur Mariam etiam quoad corpus assumptam esse in gloriam cœlestem. „Hodie purissimum corpus Deimatris Virginis extollentes (angelici chori), vigiles a visibilibus sensualibus ad beatorum sedem transtulerunt, ut ineffabilium esset particeps; quapropter tibi, iubilanti voce, Ecclesia Sancta novos hymnos canit."[2]

2° Hæc Assumptio in gloriam etiam quoad corpus annectitur immunitati a macula originali: „Rationalis palmes fructus dulcissimi, ex quo nobis racemus inexhaustus decerptus est, ad mœrentium lætitiam degustatione arboris scientiæ; Sancta immaculata, omnes Te magnificamus. Integerrime in carne conversata, ab Apostolis sepulta, hodie, nutu divino, in regnum Filii tui Deique nostri assumpta es; Te, conciliatricem nostram, confitemur, magnificamus."[3]

Et alibi: „Qui morte tua salvos nos fecisti et resurgens ad Patrem in cœlos ascendisti, hodie cum cœlesti exercitu ad transitum Matris tuæ, et Virginis descendisti . . .

---

[1] Mansi t. 34 col. 1674-1675.

[2] Laudes et Hymni ad SS. Mariæ Virginis honorem ex Armenorum Breviario excerpta. Venetiis 1877, Typ. St. Lazzari p. 32; hic hymnus tribuiter Moysi Chorenensi sæc. V.

[3] Ibid. p. 36.

Lætare Virgo immaculata, Mater innupta, namque a Te natus Filius Unigenitus, hodie de cœlis descendens, Te mira gloria circumdedit."[1]

„Hodie, sponsa Ecclesia Sancta, simul cum spiritualibus (entibus) festum agens, illibatæ ac immaculatæ Virginis Deiparæ memoriam celebrat in lætitia; propterea Tibi ... canimus, Sanctorum Sancte ...

Hodie per Virginem Mariam, quæ sententiam maledictionis dolorum protomatris, Unigeniti Filii tui generatione, delevit, in priscam ineffabilem gloriam protoplastam reduxisti ...

Spiritus verus, (Mariam) quam purificasti, ut habitatio tibi consubstantialis (Filii) fieret, et inenarrabili septiformi gratia replevisti, hodie supra igneos (spiritus) elevasti ...

Ab incorporeis militiis et a choris piritualibus hodie Dei Mater assumpta fuisti, quapropter nos quoque lutei ordines Te, rationalis lucis Genitricem, semper Virginem glorificamus ...

Virgo immaculata, Te Ezechiel ianuam clausam prænuntiavit, qua creaturis invisibile verbum incorporeum a Patre (genitum) intravit et incarnatum exiit, inviolata tua virginitate ... te semper magnificamus.[2]

Concordat doctrina **Gregorii de Naregh** sæc. X, doctoris Ecclesiæ Armenæ: „Sei benedetta tu da lingue purissime e da labbra elette, o fiore de Jesse (che producesti) il frutto della nostra vita e che, quantunque composta della mescollanza dei 4 elementi, tuttavia **restasti immune da ciò di cui abbiamo avuto**

---

[1] Ibid. p. 48; ætas hymnorum et precum aliquo modo ex illis computari potest, quæ Avedichian affert: „Gli autori adunque del Breviario in tutti gli esemplari manoscritti vi sono notati cosi: Ductoribus Sanctis Patriarchis nostris, S. Gregorio Illuminatore et S. Isacco Patriarcha et S. Mesropo Doctore: Gyuto et Joanne Mandakunio aliisque Doctoribus. Gli autori poi dell' Innario e degli altri libri ecclesiastici, oltre agli accennati, i più rinomati sono: Mosé Corenese, Stefano Syunese, Sant Isacco II, Pietro Kiedatarz, Gregorio Vegajaser, S. Nersete Clayese, S. Nersete Lambronese ed altri." Sulle Correzioni dei libri Ecclesiastici Armeni. Venezia 1868, Tip. di San Lazzaro. p. 1-2.

[2] Ibid. p. 46.

parte commune tutti noi terrestri,[1] non portando in te le nostre passioni naturali ed innate, ma (vivendo) come un cherubino igneo ed irraggiante: **ed è perciò che fosti assunta all'etere supremo inaccessibile, dipartendoti** da noi verso di là con volo rapido."[2]

Et iterum: „dell'umano genere tu fosti angelo celeste, della specie dei corruttibili serafino immortale, di elemento terrestre, oro di Sotir ...

... E per tale motivo, come mezzo operante tutti questi beni, tu sei benedetta fra le donne; tu, della nudità del primo creato, gloria non atta a spogliarsi, tu dell'aflitta maledetta madre (cagione) consolatrice di perdono, tu nei perturbamenti dei loro figli, voce di pace ..."[3]

Et alibi: „Tu dirigesti il corso della vita presente alla via della vita di luce adorna, ed a modo della celerità d'un uccello nell'aria, de questa vita caduca trascorresti, e tra le chiere degli angeli fosti manifestata quella che tiene Iddio; e sopra una nuvola fulgida, onorata da essi, fosti assunta; e formata d'elemento terreo presiedesti al coro dei cherubini; e nel genere delle donne fosti ammirata a guisa dell'aurora; e sotto la visibile natura umana fosti nascosta in mistero di grazia ineffabile ... **e fosti celebrata figlia senza peccato della prima donna colpevole;** e fosti confessata corona di santità a tutti gli eletti puri; ... E dagli abissi del mare di questo mondo ti elevasti in su per via simile a quella dei gigli (delle acque), e negli impacci di questo globo fosti fiorita come fra dure e cattive spine; e fosti manifestata frutto di gradevole gusto dalle radici amare della terra ..."[4]

---

[1] Hic traductores in notis apponunt: cioè, il peccato originale.

[2] Discorso panegirico alla B. Vergine Maria scritto da San Gregorio da Naregh, dottore della Chiesa Armena, tradotto in lingua italiana dai P. P. della Congr. Mechitarista, Venezia 1904, San Lazzaro, p. 26.

[3] Ibid. p. 34-36.

[4] Ibid. p. 38-40: In aliquo usitatissimo manuali precum secundum unanimem traditionem compositum a S. Gregorio Nareghensi invenitur hæc oratio: **„Quæ non participasti de hæreditate communi nobis terrigenis in systemate mixtionis quattuor** elementorum consone coniunctorum, **non portasti pondus naturaliter opprimens passionum nobis concreatarum** ... advolans pervenisti ad excelsa cœlorum tamquam **immunis** (incapax) **a corruptione et dissolutione per mortem,** corpus **quod timuit confusione plenum debitum mortis."**

Verbis Sancti Doctoris, qui in Ecclesia Armenorum tanta gaudet auctoritate quid adiungere velle iniuria esset. Nimis clare patet Mariam immunem proclamari ab illo peccato naturaliter descendentibus ab Adamo communi, cui in nobis infausta sequela nectitur passionum opprimens pondus ... et propter hanc immunitatem eximi a servitute mortis.

Liturgia Ambrosiana: „Æquum et salutare: nos tibi, Domine Deus omnipotens, gratias agere et cum tuæ invocatione virtutis beatæ Mariæ Virginis festa celebrare, de cuius ventre fructus effloruit, qui panis angelici munere nos replevit. **Quod Eva voravit in crimine, Maria restituit in salute. Distat opus serpentis et Virginis. Inde fusa sunt venena discriminis, hinc egressa mysteria Salvatoris.** Inde se præbuit tentantis iniquitas; hinc Redemptoris est opitulata Maiestas. Inde partus occubuit; hinc Conditor resurrexit, e quo humana natura, non iam captiva, sed libera restituitur. Quod Adam perdidit in parente, Christo recipit in auctore. Quem una tecum" ...[1]

Commemorari meretur **S. Martinus Legionensis** († 1203): 1° Ipse tenet Spiritum Sanctum figuris Veteris Testamenti Mariam præannuntiasse, **ita ut agatur de vera revelatione:**

„Revera domina et in cœlo et in terra, quia ab initio figuris et ænigmatibus est præsignata, a patriarchis et prophetis, **revelante Spiritu Sancto,** prænuntiata. Ab ipsa etiam nativitate a sanctis angelis est custodita et comitata ac venerabiliter salutata.

2° Explicans istud: „Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris?" (Cant. III) ita ait: „Fumus iste ex aromatibus myrrhæ et thuris dicitur esse. Myrrha quippe corpora mortuorum condiuntur, ne putrescant, thura vero in thuribulo accenduntur ut odorem emittant. Hæc igitur gloriosissima virgo, dum carnem suam a putredine vitiorum mortificabat, dum omnes mundi voluptates per continentiam abnegabat, morituro corpori quasi myrrham adhibebat et ut post, mortem ab æterna corruptione sanum permaneret, summopere satagebat ..."[2]

Et paulo inferius: „Quæ est ista, inquit, ‚quæ ascendit quasi aurora consurgens'; quia videlicet Virgo semper Maria, relictis tenebris corruptionis, in suo ascensu rutilabat novitate incorruptionis ac perpetuæ immortalitatis."

3° Per typos istos ergo Spiritus Sanctus nobis Assumptionem Mariæ revelare et præannuntiare intendit. Cum

[1] Præfatio Dominicæ IV. Adventus.
[2] Cit. apud Gordillo La Asunción de Maria en la Iglesia Española (siglos VII-XI) p. 239-246; item ML 209, 23.

ista ætate Assumptio certo certius intelligeretur evectio **corporis uniti animæ** ad cœlestem gloriam **incorruptio** de qua in antecedentibus certe **includit præservationem a corruptione sepulchri,** etsi quis forsitan sustinere vellet novitatem incorruptionis et præservationem ab æterna corruptione indicare corpus Mariæ custodiri, ne æternis inferni ignibus addicatur.

Neve quis dixerit Patres immunitatem a corruptione deducere vera conclusione ex omnimoda puritate Virginis, proinde Assumptionem quoad corpus in cœlum ad summum esse conclusionem Theologicam. **Sicut enim in S. Scriptura peccatum proponitur ut ratio ontologica cur infligatur pœna, ita correlative immunitas a peccato est ratio ontologica exemptionis vel libertatis a pœna et in ipsa revelatione** hæ veritates ut ontologice inter se nexæ exhibentur.

Sed **logica** deductio hic locum non habet. Ubi enim doctrinæ S. Scripturæ innitimur utraque præmissa formaliter in verbo Dei continetur, quo in casu etiam conclusio formaliter revelata agnoscitur. Quod Sanctos Patres attinet ipsi immunitatem a pernicie Adami tamquam rationem **ontologicam** præservationis a corruptione sepulchri designant, sed minime intendunt veritatem Assumptionis Beatissimæ Virginis ad gloriam cœlestem quoad corpus proponere ut **logice deductam** ex immunitate a noxa Adami. Aliquoties enim tria ista libertatem a labe originali seu contagione Adami, conceptionem et partum virginalem, præservationem a resolutione in sepulchro ut iuxtaposita proponunt pari censu credenda. Deinde pariter ac libertatem a permanentia in morte et corruptione sepulchri ut sequelam immunitatis a contagione Adami exhibent, ita correlative mortem ut pœnam lapsus Adami designant innixi quoad hoc alterum verbis Geneseos. Sed profecto mors **non logice deducitur** ex doctrina de lapsu, sed **revelata** est formaliter in Genesi **ut sequela** ontologica peccati. Cum ergo Patres quoad hanc rem evidenter doctrinam suam hauriant ex S. Scriptura iam elucet ipsos minime cogitasse de deductione logica, proinde

non potuisse proponere fidelibus glorificationem Virginis etiam quoad corpus tamquam meram conclusionem theologicam.

Recapitulentur quæ superius de S. Modesto, S. Sophronio aliisque testibus disseruimus.

Hæc porro doctrina etiam posteriore ætate floruit. Ita:

Ioannes Euchaitensis: „Novis enim nova congruunt atque iis, quæ iugi quodam portento constant, merito alia portento accedunt. Non enim tulit penes se tellus, quod erat cœleste; **neque corruptio, quod immaculatum erat, invasit.** Et hoc igitur a tergo cito eam sequitur, et **animæ prorsus immaculatæ corpus prorsus incorruptum vestigiis hæret, et pari cum honore a præclaris illis satellitibus ad eandem cum illa quietem, sortemque beatam evehitur.** Tantisper nihilominus quippe naturæ lege morti traditum ... ad sepulchrum defertur."[1] — Cui testimonio hanc Ballerini adicit notam: „Manifeste hic se prodit veterum sententia de immunitate Virginis beatissimæ a communi generis humani lapsu: eoque opportunior est modus, quo ea doctrina proponitur, quod cum ex ea ratio petatur, cur eiusdem Virginis corpus corruptionem passum non fuerit, non quidem disputando contenditur, sed veluti explorata præsupponitur. Atque hanc primo quidem tradit Ioannes, dum inquit, non potuisse terram apud se retinere, quod cœleste erat, quod nempe expers erat illius vitii, propter quod in terram reverti indictum fuit homini (neque enim negat alioquin Ioannes, Virginem e terra fuisse) ...: deinde vero multo disertius, dum ait, propterea corruptionem Virgineum corpus invadere non potuisse, quod labem istud nesciret."[2]

Germanus II. († 1240): „Maledicta fuit Eva, repleta autem fuit gratia Maria; radix acerba, sed fructus melle dulcior: radix in terra ad corruptionem sepulta est; fructus terram supervolat in sanctitatis incorruptibilitate; ubi enim sanctitas, ibi est et integritas."[3]

„Aiunt, arbores capite inverso vivere, ac radices pro capite tenere, inde autem (a sepulto capite) sugentes humorem per ca-

[1] Sermo in Deiparæ Dormitionem n. 20. Ballerini Sylloge t. II pag. 567-568.
[2] Sermo in Dormit. Deiparæ. Ballerini Sylloge t. II pag. 567 Nota C.
[3] Sermo in Deiparæ Annunt. Ball. Syll. t. II p. 303-304.

naliculos transmittere ac sursum attrahere ad fructus producendos. Generis nostri auctores primi in caput humo defossi erant, ac radicum arrosores teredines hasce radices depascebantur. Verum **hic** tandem **fructus incorruptionis munere ditatus est,** et, inverso naturæ ordine, hanc in radices quoque incorruptionem transfundit; et quod genitum est generatores suos regenerat; **quæ demortua erant, ad vitam parit,... Supereminentissima enim prærogativa propter innoventiam et puritatem super cognatam naturam elevata** et coryphæa constituta, tamquam sublimissimum locum tenens divinum e cœlo depluentem imbrem prima in se excepit: Descendit enim, sicut pluvia in vellus (Ps. 71, 6), scilicet in purissimam hanc ac supra captum ex omni parte immaculatam Mariam..."[1]

Perspicuis verbis hic celebratur Mater Dei ut immunis a corruptione invadente universam progeniem protoparentum, et puritate excellebat super cognatam naturam, utpote libera a pernicie universali. Quare opponitur illis, qui in Adamo demortui erant. Propter hanc immunitatem a labe eximitur a sententia mortis a Deo statuta post lapsum: „Sane compertum nobis est, primos generis nostri parentes, tunicis indutos pelliceis, **ac propter mortis sententiam terrore prostratos ac veluti exanimes, a paradisi deliciis expulsos fuisse.** Virgo autem, eorum filia utpote homo, si quasdam levioris momenti excipias proprietates cum eorum vita communes, quod nempe mortalem hanc carnis sarcinam gereret, et corruptibili cum corpore viveret, quoad reliqua longe illis sublimior erat ac divinior. Incorruptibilitatis enim arrhas sibi comparabat, et inter homines vivens ad materiæ expertem conditionem angelicam assurgebat..."[2]

Virgo mortale corpus gerit et corruptibile durante hac vita mortali, sed de cetero opponitur protoparentibus in omnibus illis, quæ per lapsum inducta fuere, **præsertim eximitur a sententia mortis, quæ illos terrore prostravit.** Mater Dei e contra incorruptibilitatis arrhas sibi comparavit. Quamvis ergo mortem subitura sit, **mors illi non dominabitur.** Quippe cum huic dominio non nisi sententia mortis in paradiso proclamata subicit.

---

[1] Ibid. pag. 304-306.
[2] Ibid. pag. 310-311.

Isidorus Thessalonicensis († 1397). Immaculatæ Conceptionis Virginis testis disertissimus: „Oportebat insuper, ut ad congressum illum, unde virginis conceptio processit non aliud quidpiam, quam congressus cum Deo, impelleret atque adduceret; ut quemadmodum consentaneum erat, purissima illa sola etiam propheticum illud excitaret, ac de se ipsa affirmare posset: ‚iniquitatibus concepta **non fui,** et rursus, »**solam non concepit** in peccatis me mater mea«; quoniam hoc quoque comprehensum est in numero »magnalium illorum« quæ fecit mihi magna (inquit) qui potens est' ... Postquam igitur in lucem **Dei filia** prodiit splendida, immo ipsa luce splendidior, ... de promissione implenda præsens memoria parentes monet."[1]

Hæc professio disertissima nequaquam dictum singulare momentaneum censenda est, sed ex tota eius doctrina de Beatissima Matre Dei enascitur. Postquam in sermone in Nativitatem Virginis dolens exclamavit: „(Propter lapsum Adami) omnes itaque creaturæ, quæ ad iucunditatem creatæ fuerant, elingues, squalidæ, ac veluti mortuæ iacebant", et exposuit Deum ipsum in terram pedes inferre decrevisse, inter homines autem quempiam requisitum esse, qui illum exciperet. Neminem autem dignum inventum fuisse, deinde Mariam ut distinctam a tota progenie Adami tamquam novum hominem introducit: „Post multos solis recurrentis gyros **novus ille homo,** magnum ac vere vivificans elementum, ... vas Deo excipiendo par, venustissima nempe puella Virgo in vitam affulsit; per quam homo quidem et a calamitate illa (Adami) liberatur, et pristinam resumit dignitatem, ..." Maria est ergo **novus homo,** in qua nempe **natura humana reformatur in illum statum, qui vigebat ante lapsum.** Propterea in sola Matre Dei illud plenissime verificatur: »Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram«: „Cum Deus hominem crearet, propter hanc (Virginem), arbitror, et ante oculos mentis habuit et pronuntiavit illud: »Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram«. Nemo enim a sæculo, præter istam **undequaque immaculatam,** exstitit, neque alius ullus in posterum exsistet, propter quem affirmari iure ab omnibus possit, hominem iuxta divinam illam sententiam ad Dei similitudinem, quantum fas est per lutum, quo et a Deo et ab Angelis distat, plane et perspicue attigisse. Neque enim aut

[1] Sermo in Deiparæ Præsentationem. Ball. Syll. t. I. pag. 435.

Adam aut alius quispiam eorum, qui ab eo duxerunt originem, excellentiæ humanæ modum perfecte implevit."[1] Maria est homo idealis. Ipsa etiam ut **filia Dei concepta est.**

Merito Iugie: „Comme Cabasilas, Isidore voit en Marie le type idéal del'humanité. C'est à cause d'elle que Dieu a dit en formant l'homme: »Faisons l'homme à notre image et à notre ressemblence ... Elle est l'homme tout à fait nouveau *ὁ καινότατος*, créé **à la ressemblence divine** pour coopérer avec Dieu au salut des hommes."[2]

Immaculata Conceptio basis est et fundamentum resurrectionis et gloriosæ in cœlum Assumptionis: „Sane ... quoad alia plura pervidere quis poterit, Immaculatissimam cum Creatore similitudinem servasse. Nam quemadmodum ille bibit quidem propter me poculum mortis, non tamen instar aliorum mortuorum **stabilem,** ut ita dicam, **domum sepulchrum sibi habuit,** sed ut congruam quæreret sibi sedem, resurrexit; sic etiam Conditoris Mater terram utique subiit, tum ut Filium imitaretur, tum etiam ut illius pareret sententiæ, quam olim protoparentes audierant, quippe quæ et ipsa vere e terra erat, etsi nihil terrenum secundum animum gereret; (Virgo ergo illum reatum non contraxit propter quem sententia illa inflicta est); verumtamen resurrexit, et in cælos, ubi erat et Filius eius avolvavit."[3]

Perspicue hic archiepiscopus Thessalonicensis distinguit inter mortem ut separationem animæ a corpore et permanentiam in morte, quam alteram a Matre Dei arcet.

Idem insigniter docet in sermone in Nativitatem: „Omnia quæcumque condita sunt, defectioni seu corruptioni necessario subiciuntur, si incorporea tamen excipias, quibus Creator in ipsa eorum conditione largitus est, ut nullum umquam finem attingerent ... Verum etiamsi nulla e creatis rebus se necessitati subducere posset; **quomodo quispiam concesserit, huic malo innocentissimam quoque obnoxiam exstitisse Virginem, qua exoriente, quemadmodum iam ostensum est, vera creationis redintegratio,** ac vera vita omnibus effloruit? ... **Quod si humus innocentissimæ illius corpus sacratissimum excepit, non ipsum tamen, sicut corpora nostra, absumpsit; verum excepit illud qui-**

---

[1] Sermo in Deiparæ Annunt. Ball. Syll. t. II pag. 419-420.
[2] Dict. de theol. Cath. VII, 1, 947-948.
[3] Sermo in Deiparæ Dormit. Ball. Syll. t. II p. 652.

dem, utpote ex se ipsa compactum; sed ut simul palam faceret, inter humana corpora peculiari illud excellentia præditum, et quam simillimum dominico corpori fuisse, non diu apud se retinere illud potuit.“[1]

At nonne tali argumentationi penitus viam præcludunt alia dicta eiusdem Isidori? Nonne ipse **soli** Christo immunitatem ab omni prorsus peccato reservat? „Sane nemo hominum exstitit, qui ab omni peccato prorsus integer fuerit, præter illum novum, inquam, huius Beatæ filium qui **solus, utpote Deus homo, peccatum non fecit, neque dolus inventus est in ore eius.** Quod vero pertinet ad hanc ab omni peccato immunitatem, nemo magis, quam innocentissima illa, similitudinem cum Christo gessit; oportebat enim, ut plus quam alius quilibet, genito genitrix assimilaretur. Merito igitur eadem illa innocentissima quibuslibet hominibus quantum nec fari licet, purior prædicatur; ac proinde sola inter homines fuit plane incorrupta.“[2] En, ex ore eiusdem Isidori manifestissime negatam immunitatem Mariæ a labe hereditaria.

Sed qui ita obiciunt fateri debebunt hic ad summum immediate et verbis obvie sumptis tantum affirmari **solum** Christum liberum esse ab omni prorsus peccato **personali.** Hoc verba Scripturæ citata indicant; de peccato originali saltem immediate non agunt. Ergo nihil aliud Isidorus assereret, nisi etiam Virginem commisisse aliquod saltem peccatum **personale.** Imponemusne archiepiscopo Thessalonicensi talem doctrinam?

Nonne hæc verba tum si in seipsis ponderantur, tum si in lumine totius doctrinæ Isidori Immaculatam Conceptionem Virginis tam diserte ac perspicue attestantis perpenduntur meliorem et suaviorem explicationem inveniunt, si ipsa ita interpretamur, ut **solus** Christus utpote Deus-Homo ab omni prorsus peccato integer dicatur **de iure,** Virgo autem tantum **de facto vi privilegii.** Statim enim de Matre Dei asserit ipsam, quod pertinet ad hanc

---

[1] Sermo in Nativ. B. V. M. Ball. Syll. t. I p. 233-236.
[2] In Nativ. B. V. M. sermo n. 17. Ball. Syll. t. I p. 238.

ab omni peccato immunitatem plus quam quemlibet alium assimilari Christo debuisse **ac proinde Solam inter homines fuisse plane incorruptam.** Si Beatissima Virgo peccatum originale contraxisset hæc ultima verba profecto vera non essent.

Quid autem respondebimus, cum in sermone in Dormitationem Deiparæ ita legimus?: „Nata est quidem Virgo ex propria matre, sicut homo: et ideo antiquam crassitiem, dico autem peccatum originale, cum quo nata fuit, et quod invito acceperat, nullo modo poterat evitare nec transgredi: de qua et divus David philosophavit dicens: ‚in peccatis concepit me mater mea'. Hoc igitur solum in hanc vitam edita tulit, ostendens humano generi: alterius vero crassitiei, cuiuscumque videlicet inquinamenti prorsus incapax mansit."[1]

Cum sermones in Nativitatem et in Præsentationem Deiparæ isto in Dormitionem posteriores fuerint[2] iam posset quis cogitare Isidorum illa in textu obiecto dicta in posterioribus sermonibus tacite retractasse. **Certo certius posterior tam constans et toti doctrinæ de Virgine tam intime conserta professio privilegii Deiparæ nequit concuti dicto isto antecedente.**

Potius autem cum doctissimo Antonio Ballerini post H. Marracci hic tractus Isidoro abiudicandus est. Præterquam quod evidenter contradicit illis, quæ in homiliis ceteris Marialibus passim docentur perpendendæ remanent rationes non spernendæ. „Isidoro . . . tribuenda esset doctrina (et quidem quam populo proposuisset per solemnem concionem), quæ Virginem Deiparam non conceptam modo, sed et **natam** in peccato affirmat; sed Isidorus præterea auctor fuisset, eandem Deiparam multum deinde operæ dedisse, ut illam labem a se detergeret, plurimaque purgatione abs se abraderet, quasi scilicet Virgo

[1] Sermo in Deiparæ Dormit. n. 33. Ball. Syll. t. II p. 656-657.

[2] Quoad sermonem in Nativitatem hoc constat ex verbis ipsius Isidori in hoc sermone aientis: „Quemadmodum latius in sermone de Beatæ Dormitione iam ostendimus"; quoad sermonem in Præsentationem sufficienter erui potest.

diu hanc luem pertulerit, originalis autem maculæ natura ea sit, ut paulatim purgari queat. Quæ quidem opinionum monstra quam longe abhorreant tum a perspectis eiusdem Isidori doctrinis, tum ab eiusdem ingenio et eruditione, tum a communi ecclesiæ græcæ sensu, satis manifestum est."[1]

Accedit, quod dicta de palma stupida prorsus sunt. In editione Migne deinde monetur narrationem de symbolo palmæ, quæ textum obiectum continet **cum præcedentibus non cohærere** et concluditur: „Homiliam illam, prout a R. P. Ballerini edita est, Isidoro Thessalonicensi tribui non posse; etsi fortasse aliqua ex parte ipsius sit."[2]

Cum ex sermone Isidori in Nativitatem Virginis certo acceperimus homiliam in Dormitionem Deiparæ habitam esse, cum tractus iste de palma in cap. XXXII[0] huius homiliæ manifeste cum antecedentibus non cohæreat assertaque plane insipida contineat satius ducimus ipsum interpolatum censendum esse.

Igitur in tuto posita professione Immaculatæ Conceptionis ex parte Isidori etiam salva tectaque remanet attestatio Assumptionis corporalis ut priori privilegio ontologice innixæ.

Michael Glycas: „Ceterum tametsi Virgo Mater naturæ legibus fuit obnoxia, tametsi mortem degustavit, tametsi ut homo in sepulchro est deposita, naturæ tamen fines atque terminos superavit et excessit, neque sepulchrum et mortalitas eam in potestate sua retinere potuit. Nam et ipsa de sepulchro resurrexit, prorsus uti filius eius idemque Deus fecereat, solis sepulchralibus exuviis in monumento relictis.

... Quapropter hac quidem in parte amplius hæsitare noli. Nam quia duo illa primum omnium creatorum hominum corpora interitui facta sunt obnoxia propter inobœdientiam, indeque porro subsecutum aliud, nimirum ut malum eiusmodi latius serpens in universam naturam humanam sese dideret, idcirco nunc quoque primum omnium duo corpora excusso depositoque

[1] A. Ballerini in præfatione in hom. Isidori in Dormit. Syll. t. II p. 596.
[2] Monitum editoris in sermonem Isidori in Deiparæ Dormitionem MG 139, 118.

interitu facta sunt primitiæ quasi quædam eius immortalitatis, quam spe certa nobis pollicemur." Appellat autem ad SS. Patres: „Atque hæc quæ dicimus cave pro fabula duxeris. Nam ecce sanctissimus ille patriarcha Germanus hinc occasione sumpta, sic ad verbum in oratione de obdormitione Virginis loquitur."[1] Sequuntur verba S. Germani et deinceps S. Andreæ Cretensis.

Petrus Cellensis. De illo: »**Virgo Israel revertere ad civitates tuas**« Ier. 31, 21 disserens: „Primo revertere a captivitate mundi, quia captivitati non debet subici, per quam captivi a captivitate sunt absoluti sua. Secundo revertere ab homine sine corruptibilitate carnis; **quia sicut immunis es a corruptione peccati sic ad immortalitatem transire debes absorpta mortalitate per gratiam Dei.** Tertio revertere ad libertatem gloriæ filiorum Dei, quia, sicut peccatum numquam regnavit in tuo mortali corpore, sic digna es perfrui, **etiam in carne virginali,** eadem spiritus libertate, qua fruuntur in sua spirituali substantia angeli ab ipsa sua creatione, sive potius confirmatione."[2]

Theodorus Studita: „Hodie igitur terrenum cœlum incorruptibilitatis vestimento circumamictum transfertur ad meliorem æternamque mansionem. Hodie spiritalis atque a Deo illuminata luna in iustitiæ solem incurrens, deficit quidem a præsenti temporali vita simulque exoriens immortalitatis dignitate illustratur. Hodie ex auro condita et divinitus fabricata sanctitatis arca de terrenis tabernaculis ad supernam Hierusalem commigrat."[3]

Eandem doctrinam invenimus apud alios Orientales Theologos ut Phournes, Theodorum Prodromum et constanter assertam.

Clarissime hanc doctrinam attestatur **Nicolaus Cabasilas** († 1363 vel 1371): „Terra autem novum hominem, ipsum cœli Dominum incolam habuit; quandoquidem **non veterem peccati fructum, spinas videlicet et tribulos, sed novum iustitiæ florem, Virginem dico produxit.** Non hoc pacto tantum senectutem e medio tulit omnibusque quasi reviviscere præstitit, verum et ipsum cœlum, lunaque terraque astraque pulchrius receptura

[1] Annalium ars III MG 158, 439-442.
[2] Sermo LXVIII de Assumptione B. M. Virginis II ML CCII, 850.
[3] Oratio VI in Dormitionem Deiparæ ap. Mai, Nova Bibl. Patrum t. V p. III pag. 54-55.

sunt corpus **omnis expers corruptionis.** Non enim e corruptione creatura prius resurgere potest, quam Dei filii libertatem fuerint consecuti; huius autem libertatis pretium, primogenitum scilicet mortuorum Virgo contulit."[1]

„Ipsa (Virgo) est nova terra et novum cœlum; terra quidem, quia hinc fuit; **nova autem, quod nulla ex parte avis coniuncta, nec vetus fermentum hæreditate sortita est,** sed ipsa secundum Pauli dictum, conspersio nova exstitit (1 Cor. 5, 7), cuiusdamque novi generis principium fuit. Porro illam cœlum esse quis ignorat? Novum vero, tum quia a quavis senectute longe fuit, quippe quæ **omnem corruptionem egregie vicit,** . . ."[2]

„Virgo . . . non solum pura malis, verum et pulchra est. **Et non simpliciter, sed omnino pulchra:** nam »tota es pulchra« (Cant. 4, 7) inquit. Et suffragium non est humanum, sed Deus ipse Beatam prædicat. Et non hoc tantum, sed cum admiratione . . . Porro omnem iustitiam humanam coram Deo Scriptura dicit omni scelere cœlestiorem et perversitatem nuncupat (Is. 64, 6), ex quo constat Virginis iustitiam **intra humanos terminos** non occurrisse."[3]

„Et sicut hocce lumen visibilibus pulchritudinem tribuit, quamquam non omnibus inest, sed solis orbem tantum obtinuit, eodem sane modo et hominum pulchritudo et **naturæ maiestas omnis ac gratia, qua et florebat, antequam Deum amitteret, et quam habuisset, si illius legem servasset,** et quam habebat iustitiam, et illa habenda quam non habuit, **in Beata sola constiterunt.**"[4]

Iure meritoque proinde Iugie iudicat: „Il ressort clairement, de ces passages, que d'après le théologien byzantin, Marie a été constituée, **dès le premier instant de son existence, dans l'état de iustice originelle."**

Propter hanc immunitatem a labe originali Maria etiam quoad corpus translata est in paradisum. „O nova mysteria! O admirabilem iustitiam. O animam illam, quæ tali sanctimonia suum sacravit corpus! O corpus naturæ inscium, **una cum anima sursum elevatum!"**[5]

---

[1] Graffin-Nau, Patrol. Orientalis. t. XIX: Iugie. Homélies Mariales Byzantines: XII. Nicolas Cabasilas. Sermo in Dormitionem Deiparæ. p. 497.
[2] Ibid. p. 498.
[3] Ibid. p. 499.
[4] Ibid. p. 500-501.
[5] Ibid. p. 503.

„Porro oportebat sanctissimam hanc animam a sacratissimo illo corpore solvi. Solvitur quidem, et cum anima Filii cum primo lumine secundum lumen coniuncta est. **Corpus vero, paulisper in terra moratum, et ipsum commigravit.** Oportebat enim illud per omnes incedere vias, per quas Salvator transiit, et viventibus splendere et mortuis, et in omnibus sanctificare naturam, et rursus congruum locum recipere. Unde suscepit quidem sepulchrum, excepit vero cœlum **novam terram illam, corpus spiritale,** vitæ nostræ thesaurum ... Et restitutus est Regi thronus, vitæ ligno paradisus, luci orbis, fructui arbor, Filio Mater."[1]

Corpus ergo Matris Dei exceptum est a paradiso, primo **quia terra nova** i. e. iuxta superius citata „quia (Maria) nulla ex parte avis coniuncta nec vetus fermentum hæreditate sortita est". Insuper gloria paradisi corpus excepit, quia »**spiritale**«. Sensum huius vocis »**spiritale**« designat Iugie hisce verbis: Si son corps (de la Vierge) n'avait point tous les privilèges de l'état primitif, s'il était passible et mortel, il était, du moins soustrait aux atteintes de la concupiscense. C'est ce que Cabasilas veut dire, quand il déclare que c'était un corps spirituel."[2]

Ubi autem concupiscentia abest, pariter immunitas a macula originis admittenda. Ergo iterum corpus Mariæ elevatum in cœlum propter immaculatam conceptionem. Corpus autem Virginis a theologo Byzantino designari ut **spiritale** sensu superius a clarissimo Iugie indicato facile apparet ex ipsis Cabasilæ verbis. „(In Virgine) vita prorsus immaculata ... **corpus per omnia spiritale,** sole fulgidius, ... mentis ala nullo vertice victa, ... divinus amor, **totam animæ vim concupiscibilem ad seipsum attrahens et absumens ...**"[3]

Et alibi: „Etenim corpus illius (Virginis) quod procul esse potuisset, suam denominationem profecto excessit; **namque fuit non animale, sive aliud quid simile, sed quod dicit Paulus: corpus spiritale;** quippe Spiritus in illud descenderat, omnesque leges naturæ mutarat. Præ-

[1] Ibid. p. 509.
[2] Ibidem in „Introduction" p. 460.
[3] Ibidem in Sermone in Annuntiationem Deiparæ p. 486.

terea, quod sanctos non sinit a Deo avertere mentem, hoc Beatæ Virgini extra modum adfuit. Illi enim, quod tota vi desiderii summo desiderabili adhærent,... **ad nihil aliud divertere possunt, neque mentis oculum avertere, etiamsi visibilia omnia coram ponerentur.** Hoc vero modo incomprehensibili atque ineffabili prorsus Virgini contigisse,... quis ignorat."[1]

Non tam firma hac in re est doctrina **Georgii Scholarios** (sæc. XV). Defendit hic præclarissimus theologus optime Immaculatam Conceptionem et immunitatem a quovis peccato Virginis: „Igitur non cooperabatur (Maria) tantum et manum porrigebat bonæ eius voluntati, sicut in aliis devotis, sed potius modo digno præparatione ipsi indita operari tribuebat, ita ut eius operatio quidem secundum datum habitum et potentiam eius volitioni omnino consentanea esset, habitus vero ei inesset non ex actibus repetitis et ordinate ex industria per longum tempus productis, sed cœlitus naturæ infusus esset, **ut sic ne levissimum quidem vestigium defectuum naturæ ei inesset.** Et quod sine semine conceptio in eius nato hoc ipsi, etsi per semen genitæ, divina gratia operata est, **ut in ambobus esset puritas stupenda: in eius nato quidem gloriosior, propter naturam maculæ nullam occasionem habentem; in ipsa vero, quæ hunc genuit, secundum gratiam tantum eadem adesset; et purissima esset virgo, a generatione statim, utpote purissimum paritura, quamvis maculæ occasionem haberet naturæ coniunctam."**[2]

Egregie profecto hic panditur discrimen inter immunitatem a pernicie Adami **de iure et secundum gratiam tantum.** Facile tibi persuadebis hunc Orientalem novisse doctores scholasticos ipsumque Scotum non remansisse ei ignotum.

---

[1] Ibidem in Serm. in Dormit. Deiparæ p. 506.

[2] Graffin-Nau, Patrol. Orientalis. Paris 1922, Firmin-Didot. t. XVI: Iugie. Homélies Mariales Byz.: G. Scholarios. p. 577; de theologo Byzantino clarissimus Iugie ita iudicat: „Sans contredit la plus grande célébrité théologique de l'Eglise grecque au XV^e siècle. Sa supériorité sur ses prédécesseurs et ses contemporains lui vient de la connaissance sérieuse qu'il avait acquise de la théologie latine. Il avait lu Saint Thomas d'Aquin, dont il traduisit plusieurs ouvrages, et Duns Scot lui-même n'était pas pour lui un inconnu." In „Introduction" ibid. p. 566.

Etiam fatetur corpus Matris Dei corruptioni nequaquam subiacuisse: „Ea quæ ipsius attinebant exitum modo toti eius vitæ congruo ordinata sunt... miracula demortui corporis sanctissimi, eius subter terram depositio cum veneratione et stupore; **mortuum corpus quæritur sed non invenitur; non frustra certe translatum fuit, sed ut aliquid amplius haberet quam alia corpora, ut caro carnem Deo largita.**

Quodnam autem hoc sit, solus qui dedit Deus noverit; nos vero homines alius aliud coniicimus. Alii quidem in paradisum terrestrem sacratissimum illud corpus translatum fuisse dicunt, ibique secundum Christi adventum exspectare, **non resurrecturum tunc simili modo atque alia — manere enim quale erat statim post mortem** — sed tantummodo animatum iri. Alii vero tertia die fuisse animatum affirmant, anima rursus e cœlis delapsa, et resurrecturis corporibus speratam transformationem et immutationem expertum, una cum anima assumptum fuisse."[1]

Unum ergo etiam ipsi Scholarios salvum tectumque manet, propter exemptionem a labe originali **sacratissimum corpus Mariæ præservatum esse a corruptione sepulchri.** Ultima quidem ratio huius privilegii exstitit maternitas divina, sed absque dubio puritas Virginis hoc postulavit, quippe quæ secundum hunc theologum **eadem est ac ipsius Salvatoris titulo tantum decoris diverso exstante,** proinde libertatem a labe originis includit.

Sic ergo principium formaliter implicite continens unionem corporis Virginis cum anima sanctissima bene defenditur a Scholarios, quamvis proh dolor non reprobaverit illam opinionem irreconciliabilem dicto principio i. e. corpus quidem conservari incorruptum, non esse tamen animatum.

Tandem fidem nobis attestantur documenta veneranda **Ecclesiæ Syriacæ:**

Ita in officio quo utuntur Syri Maronitæ Maria encomiatur propter gloriosam Assumptionem in cœlum etiam quoad corpus et quidem ratio huius gloriæ constanter affertur eius **puritas.** Porro puritatem Virginis complecti præcise immunitatem a labe originali ex luculentis testi-

[1] Ibid. p. 580.

moniis apparet alias afferendis.[1] Insuper perpendendum remanet, etiam si in hac liturgia intermiscetur narratio ista legendaria de Adventu Apostolorum, deque mire gestis in sepultura B. Virginis, **tamen fundamentum gloriæ Virginis quoad corpus** reponitur aut in summa puritate aut in virginitate servata in partu de qua re in tertia parte huius dissertationis.

„Filius Dei assumpsit corpus illius, ex qua, per suam voluntatem, **incarnatus erat in puritate** et posuit illud in loco abscondito, qui est longe **ab omni corruptione.**"[2]

„Convenerunt Angeli et Apostoli et magnificaverunt exitum Mariæ **purissimæ Virginis.** Ex Sion transtulerunt corpus eius usque dum appropinquaverunt ad hortum Gethsemani. Ibi descendit currus cœlestis, et transtulit eam in triumpho; super alis Seraphim et in loco lucis eam collocavit."[3]

In aliqua poesi **Iohannes de Birta** probabilissime VII sæculi, ita Mariam canit: „Vere mortua est, sed mors eius mors non est. E temporali vita migravit sed in Deo vivit, et in lectica mortuorum posita est, **sed corruptio eam non tetigit.** In sepulchro ut mortuum (aliquem) eam posuerunt, sed mortui ei obviam orantes ierunt. Hac re mors cognoscitur, **quando corpus corrumpitur.** Hac re decessus declaratur, **cum cadaver odorem (malum) dat. Atqui si corpus non corrumpitur, sed suavissimum odorem dat, ubi est locus ibi sive morti sive corruptioni?**

---

[1] Clarissimis verbis exprimitur doctrina Immaculatæ Conceptionis in quadam oratione quæ dici solet quando datur benedictio cum imagine B. V. M. „Apparuisti in mundo viventium sicut prima aurora clarissimæ lucis. Re quidem vera, iam in primo instanti tuæ Conceptionis exempta a macula peccati originalis et habuisti talem naturam quæ sit libera ab omni inclinatione mala et ornata omnibus virtutibus divinis et moralibus."

[2] Officia Sanctorum iuxta ritum Ecclesiæ Maronitarum. Ed. Rom. 1666, typ. S. Congr. de Prop. Fide. Pars Aestiva. Officium pro exitu Matris Dei Dominæ Mariæ. Ex officio Noctis. Quæ ad officium hoc pertinent, desumpta sunt ex antiquissimis manuscriptis Syriacis, quibus utebatur Ecclesia Maronitarum. Periti attenta lingua ista manuscripta absque dubio ante saec. XIII composita esse censent, sed probabilissime ætati adhuc magis venerandæ tribuenda sunt. Editio officii facta est cura illustrissimi Abrahami Ecchellensis et Fausti Naironi sub pontificatu Alexandri VII. Traductio debetur pro illis, quæ ex liturgia Syriaca citantur R. L. D. Kalil V.-Rect. Pont. Coll. Maronitarum.

[3] Ibid. ex officio Matutino.

Eius in qua olim Deus divertit et **ex puritate eius genitus est** gratia divina **exempta membra erant** et bonum munus susceperant Spiritusque Sancti virtutem et **propterea corruptio minime potuerat eorum dominari.**

Neque igitur quisquam credat corruptum esse purum eius corpus prout corrumpuntur corpora hominum mortalium, sed sciat, ut incorrupta Deum genuerat, ita etiam in sepulchro incorruptam eam custodivisse natum eius."[1]

Nihil refert, quod in hac poesi Iohannes non explicite celebrat Assumptionem quoad corpus e sepulchro, nam clare tradit exhibita distinctione inter simplicem mortem et mortem cum insequente corruptione **principium immunitatis a corruptione propter omnimodam puritatem.** Corruptio membris Beatissimæ Virginis **non potuit dominari** immo eam non tetigit et non est locus morti sive corruptioni, hæcque membra virtutem Spiritus Sancti susceperunt. Si mors Virgini non dominatur, ergo in morte non permansit. Si membra eius exempta sunt a corruptione et virtutem Spiritus Sancti susceperunt ad novam vitam resuscitata est. Ratio autem exemptionis a resolutione sepulchri duplex a Iohanne de Birta affertur, **puritas eius** quam secundum fidem Orientis summam esse, ita ut labem originalem excludat nemo non novit. Deinde Partus Virginalis, quem indicium esse restitutionis Virginis in statum ante lapsum et maledictionem Divinam ex inferius dicendis patebit.[2]

---

[1] Baumstark, Zwei syrische *Κοίμησις*-Dichtungen: II. Die Dichtung des Johannes von Birta: Oriens Christianus 5 (1905) 117-119.

[2] Quoad ætatem qua vixit poeta noster hæc adnotat Baumstark: „Man wird folglich (propter mentalitatem in ipsa poesi manifestatam) nur die Zeit der arabischen Eroberung Vorderasiens ins Auge fassen können und dann erst recht wieder einen Westländer in dem Dichter zu erblicken haben." „Die leibliche Himmelfahrt der allerseligsten Jungfrau . . ." Oriens Christ. 4 (1904) 389.

His testimoniis ex Johanne de Birta citatis forsitan quis opponet illa, quæ superius Baumstark attulit. Johannes enim primarie loquitur de Assumptione Virginis **quoad animam.** Insistit quidem in eo, quod Filius permittere non potuerit ut sacrosanctum corpus ex quo carnem assumere et in quo tamquam in templo habitare dignatus sit, corruptioni sepulchri subiaceret. Attamen ne verbulum quidem habet de Assumptione corporali Matris Dei.

Sed iam superius monuimus hæc omnia profecto maximopere obstare, si quis resurrectionem et assumptionem sensibili modo peractam et historica

Universa ergo traditio præsertim in Oriente hoc proclamat Beatissimam Virginem utpote a peccato originali immunem etiam a dominio mortis liberam a morte retineri non potuisse. Item superius monuimus hanc doctrinam Patribus suggestam esse a penitiore intelligentia sententiæ Gen. 3, 19 a Deo proclamatæ. Eo ipso enim quod Deus tamquam pœnam peccati originalis statuit mortem cum resolutione corporis insequente correlative hauritur Mariam utpote a tali labe immunem etiam a servitute mortis eximendam esse.

Difficultates quædam diluuntur:

Huic universali traditioni prima fronte contradicere videtur Doctor Hipponensis. „Sic ergo peccatum Domini quod factum est de peccato, quia inde carnem assumpsit, de massa ipsa quæ mortem meruerat ex peccato. Et enim ut celerius dicam, **Maria ex Adam mortua propter peccatum,** Adam mortuus propter peccatum, et caro Domini ex Maria mortua est propter delenda peccata."[1]

Insuper tali traditioni obstare videtur ipsa primigenia idea festi Assumptionis. Nam primis temporibus post introductionem huiuscemodi festi tamquam obiectum cultus nequaquam considerabatur principaliter Assumptio Virginis **quoad corpus** sed potius **quoad animam,** dum Assumptio quoad corpus secundarii tantum momenti reputabatur, quam nequaquam certam censebant. Ita Iacobus a Stella † 1155 de festo Assumptionis ita habet: „Patrum inclusi limitibus, quos prætergredi prohibitum est, nihil aliud definire audemus, nisi quod hodierna die

---

methodo indagandam statuere vellet. Immo etiam seriam . . . difficultatem facessere, cum quis prætenderet inde ab Apostolis explicitam adfuisse traditionem. Sed ut ad abundantiam iterum iterumque dicatur: 1° Potest adesse revelatio quoad gloriam cœlestem Virginis quoad corpus quin habeatur quoad mortem resurrectionem et assumptionem modo sensibus perceptibili factam; 2° Possunt haberi principia et veritates revelata in quibus hæc prærogativa Virginis formaliter implicite continetur, quin in Ecclesia conscientia huius veritatis ut revelatæ vigeat. Nos Ioannem de Birta tantummodo invocamus testem istorum principiorum, nequaquam traditionis explicitæ.

[1] Enarrat. in Ps. 34 sermo II. n. 3 ML 36, 335.

(sive cum corpore sive sine corpore, nescio, Deus scit) ... ad summum cœlorum assumpta sit."[1]

Item Martyrologium Usuardi: „Dormitio sanctæ Dei Genitricis Mariæ, cuius sacratissimum corpus etsi non invenitur super terram, tamen pia mater Ecclesia venerabilem eius memoriam sic festivam agit, ut pro conditione carnis eam migrasse non dubitet."[2]

Quod imprimis textum accusatum S. Augustini attinet duo mss. Vaticanum et Colbertinum ita efferunt textum: „Maria ex Adam, Adam mortuus propter peccatum etc.... In Florentino mss. legitur: „Maria ex Adamo primo, Adam secundus ortus ex Maria propter delenda peccata."

Patet hisce lectionibus admissis difficultatem evanescere.

Sed etiamsi admittitur lectio, prout superius in obiectione exhibetur saltem nullatenus probatur S. Doctorem contradicere illis, quæ teste traditione stabilivimus. Item nemo hisce verbis innixus iuste Augustinum accusaret, quod privilegium immaculatæ Conceptionis Virginis denegasset.[3]

Nam imprimis verba Augustini **obiter dicta** non nimis urgere licet. Quare nihil aliud edicunt nisi mortem Mariæ aliqua ratione etsi late sequi peccatum Adæ. Aliqui auctores catholici ita explicant, ut Maria mortua sit **propter debitum** peccati.

Scheeben textum ita explanat: immunitas a labe originali et gratia sanctificans in Virgine ex morte Christi, proveniunt. Cum ergo deceret Mariam mori propter conformitatem cum Christo, Christus autem mortuus sit ad delenda peccata, primarie peccatum Adæ, mors Mariæ saltem **mediate** censetur sequela peccati Adami. Nisi

[1] ML 194, 1862.
[2] ML 124, 365.
[3] „Diese Sentenz enthält in der von der Mehrheit der Manuskripte überlieferten Textform, wie wir sie gegeben, offensichtlich die Anschauung, daß Maria der Erbschuld verfallen war." — Friedrich, Die Mariologie des hl. Augustinus. Köln 1907, Bachem. p. 226, Nota.

enim Maria orta esset ex genere peccatore, mortua non esset.[1]

Sed etsi quis verba S. Doctoris omni rigore urgere vellet, saltem non probatur Augustinum intendisse Virginem mortuam esse propter peccatum originale **ab ipsa contractum** neque Matrem Dei mortuam esse propter peccatum **eodem pacto ac nos,** ita ut servituti mortis et corruptioni subiaceret, sed mitior intelligentia sese offert.

Poterat enim S. Augustinus speculationibus aliquantulum indulgens et conditionem Virginis omni ex parte nondum plene perspiciens sibi persuadere Mariam mortuam esse propter peccatum Adami quin ullo modo in ipsa admitteret labem originalem.

1. Apprime enim Sanctus episcopus constanter urgebat Deum liberrime ita Adamo contulisse dona supernaturalia iustitiæ originalis, ut illa annecteret **naturæ** ut ab Adamo naturali via propagandæ, inter quæ dona inveniebatur donum immortalitatis i. e. posse non mori. In materia iustitiæ originalis ostendi solet tantum hoc sensu ista dona vocata esse naturalia ab Augustino, utpote cum origine naturæ conserta.[2]

2. Lapsu Adæ **natura humana** per voluntatem capitis abiciebat hæc dona, quæ ergo amittebantur pro omnibus ab Adamo naturali via descendentibus. „Eorum (donorum præternaturalium) conservatio ab observatione legis et conservatione gratiæ pendebat, ut manente gratia manerent cetera dona, ea amissa et ipsa quoque amitteren-

[1] Bei den Lateinern allerdings wurde der Tod Mariens direkter als eine Folge der Sünde aufgefaßt (z. B. von Aug. in Ps. 34 sermo 2 n. 3: Maria ex Adam mortua propter peccatum, Adam . . .), und im Mittelalter machte man eben den Tod Mariens als eine übriggebliebene Folge der Sünde auch als Beweis gegen die ursprüngliche Freiheit von der Erbsünde geltend. Indes ist diese Anschauung darauf zurückzuführen, daß allerdings der Tod Mariens, ähnlich wie der Tod Christi ohne ihren Zusammenhang mit dem sündigen Geschlechte nicht eingetreten sein würde, daß ihre Freiheit vom debitum poenale mortis sich immerhin auf die Erlösungsgnade und die Gemeinschaft mit dem Erlöser stützte, diese Gemeinschaft selbst aber das debitum mortis in einer andern, ehrenvollen Form aufrecht hielt. Handb. d. Kath. Dogm. III, n. 1744.

[2] Cf. Palmieri de Deo Cr. et El. ed. I p. 349.

tur. Cum vero hic nexus non sit ex rerum naturis, restat, ut ex libera institutione Dei constitutus fuerit. Porro gratia, quacum cetera dona nexa erant, erat gratia in creatione collata. Scilicet non vinxit Deus dona cetera cum gratia simpliciter ita, ut ubi gratia esset, essent et ea dona, sed vinxit **cum gratia primitus data,** eaque libere per præcepti observantiam conservata; quam semel amissam, etsi deinceps recuperatam, non esset tamen necesse ut ea dona rursus comitarentur ipsam."[1]

3. Etiam in Maria gratia sanctificans non est divinitus annexa **ipsi naturæ qua tali** sicut in Adamo seu non est **accidens naturæ speciei** ut verbis Angelici utamur, sed gratia Mariæ provenit ex meritis Christi, proinde est **personalis. In nobis** gratiæ sanctificanti **provenienti ex meritis Christi** dona præternaturalia, inter quæ donum immortalitatis, non annectuntur. Poterat ergo S. Augustinus admittere in Maria gratiam sanctificantem in primo momento existentiæ animæ rationalis, proinde excludere peccatum originale, sed **simul** censere huic gratiæ sanctificanti, utpote personali non annecti dona præternaturalia, puta donum immortalitatis, et consequenter putare Mariam istud donum amisisse in prævaricatione Adami. Quo supposito Sanctus Doctor, quamvis excluderet peccatum originale a Virgine, e mente sua statuebat Mariam vere mortuam esse propter peccatum Adami.

4. Aliud profecto est cum Augustino dicere Mariam pro conditione carnis **subiisse mortem** propter peccatum Adæ, qui tamquam caput naturæ abiecerat dona iustitiæ originalis, aliud ipsam **in pœnam peccati contracti sub dominio mortis retineri.** Poterat nempe Doctor Hipponensis censere Mariam immortalitatem amisisse in Adamo et ipsius mortem adductam esse ex causis naturalibus usque ad signum separationis animæ a corpore et quoniam causis naturalibus cursus relictus est propter amissum donum immortalitatis in Adamo, omni rigore verborum dicere Mariam ex Adamo mortuam esse propter pecca-

[1] Ibid. p. 432.

tum. Sed etsi e mente magni propugnatoris contra Pelagianos causis naturalibus cursus relictus est usque ad separationem animæ a corpore, nondum sequitur ipsum admisisse Mariam ex Adamo mortuam esse propter peccatum **eodem modo eodemque titulo ac nos.**

5. **Quare:** a) **minime Augustinum asserentem „Mariam mortuam esse propter peccatum Adami"** ita intelligere oportet ac si doceret Mariam mortuam esse propter peccatum **ab ipsa contractum,** sed ad summum ex ipsius verbis deduci potest beatissimam Virginem, cum non haberet gratiam sanctificantem **ut ipsi naturæ** ab Adamo propagandæ annexam seu instar accidentis naturæ speciei, caruisse dono præternaturali immortalitatis, propterea subiisse propter peccatum ab Adamo capite naturæ commissum mortem i. e. separationem animæ a corpore. b) Iterum inde minime sequitur sanctum episcopum Mariam subicere dominio mortis ipsumque contrariari traditioni docenti Mariam non subiisse resolutionem in sepulchro, seu ipsam sub servitute mortis non potuisse retineri.

6. Neque ex contextu, in quo inveniuntur verba obiecta ulterius quid depromere licet. Argumentatio Augustini hoc tantum intendit mortem in mundum intrasse per peccatum Adami et Doctor Hipponensis forsitan sibi persuadebat donum immortalitatis amissum esse in Adamo pro tota natura, ergo etiam pro Maria. Neque ex verbis Doctoris Hipponensis ullo modo sequitur Mariam **eodem modo** mortuam esse propter peccatum Adæ ac Adam mortuus est propter peccatum et nos morimur propter peccatum. Verba non esse nimis urgenda monet ipse S. Pater; nam clare exprimit se nonnisi summis labiis quæstionem tangere „Ut celerius dicam".

7. Nequaquam ergo licet sancto Augustino appingere errorem postea damnatum in Baio: „nemo præter Christum est absque peccato originali: hinc beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adamo contractum, omnesque eius afflictiones in hac vita sicut et aliorum iustorum fuerunt

ultiones peccati actualis vel originalis."[1] Ad quam propositionem, quæ est 73. inter Baianas hæc adicit clarissimus Le Bachelet: „On doit plutôt penser qu'énonçant une disjonctive où l'un des membres n'était pas applicable à Notre-Dame, il affirmait ainsi équivalemment le second membre; en d'autres termes il prouvait indirectment, par l'application du principe général qu'il avait posé dans la proposition 72e, ce qu'il avait avancé dans la première et seconde partie de la proposition 73e, à savoir que Marie avait été conçue avec le péché originel et que de là venaient sa mort et les afflictions qu'elle avait éprouvées ici-bas."[2]

Verba Doctoris Hipponensis nequaquam ansam præbent errorem Baii ipsi imputandi. Aliud enim profecto est dicere animam Virginis primo momento exsistentiæ caruisse gratia sanctificante, proinde Mariam mortuam esse propter peccatum originale contractum, aliud istam gratiam, in qua anima Matris Dei creata est, non fuisse gratiam **ipsi naturæ ut ab Adamo propagandæ** ex dispositione divina annexam, sed gratiam ex meritis Christi provenientem, personæ collatam ... et huic gratiæ etiam in Maria dona præternaturalia, in specie donum immortalitatis non fuisse annexa. Quo supposito sequeretur Mariam e mente Augustini donum immortalitatis amisisse peccato Adami, propterea ipsam mori propter peccatum Adami. Dixerit forsitan quis cum multis auctoribus catholicis Augustinum tunc saltem errasse putando Mariam dum in terris degeret caruisse donis præternaturalibus, specie immortalitate, quo **de iure** mors arceretur, at certo certius confiteri debebit talem errorem minorem esse isto altero, quem ex verbis Hipponensis deducere vellent, i. e. Augustinum in Virgine admisisse peccatum originale. Si ergo verba S. Doctoris „Maria ex Adam mortua propter peccatum" rite explicari non possunt secundum expositionem antea allatam i. e., ut Maria mortua sit propter

[1] Denz. 1073.

[2] Dict. de théol. cath. art. Baianisme.

merum debitum peccati, profecto ita exponenda remanent, ut gravior error non imputetur quam tenor verborum omnino postulat, præsertim quia Augustinus alibi peccatum originale a Virgine arcet, de qua re alibi.

Ex modo dictis et superius expositis iam apparet, quid dicendum sit de verbis Martyrologii Usuardi: „Dormitio Sanctæ Dei genitricis Mariæ etc." superius obiectis. Quod demum ideam originalem festi assumptionis attinet, quam adversarii tantum **secundarie** institutam esse volunt ad assumptionem **quoad corpus** colendam ipsamque respicere ut rem minus certam, nemo non videt etiam datis, sed non concessis istis, quæ in obiectione statuuntur nihil prorsus deduci posse contrarium illis, quæ in argumentis a nobis adductis continentur. **Nullibi enim arguimus ex facto celebrationis istius festi Assumptionis.** Certo certius nihil aliud inde concludi potest nisi primis temporibus non adfuisse traditionem explicitam de gloria Mariæ quoad corpus, id quod ab initio ultro dedimus. At nequaquam inde efficitur in traditione non fuisse contenta ut **revelata principia ista,** in quibus gloriosa assumptio quoad corpus formaliter implicite continetur. Nec magis inde arguere liceret contra vim argumentorum propositorum, quod Patres propugnantes ista principia non explicite loquuntur de corporea Assumptione. Immo nihil efficeretur, si quis forsitan inveniret unum vel alterum aperte impugnantem hanc doctrinam sicut omnibus fatentibus non impedit Immaculatam Conceptionem esse formaliter implicite revelatam, quamvis per sæcula a multis, immo a principibus theologiæ Scholasticæ negata fuerit. Hæc omnia tamdiu difficultatem creant, quamdiu quis intendit Apostolos **explicite** tradidisse hanc doctrinam, proinde Ecclesiam etiam primis sæculis Assumptionem Virginis quoad corpus **explicite novisse,** seu conscientiam huius doctrinæ habuisse. Sed ab exordio huius dissertationis monuimus nos etsi ista omnia impugnare non intendamus, ædificare enim unice cordi est, tamen minime ista propugnare nec tali suppositione inniti.

Argumentum Tertium:

Partus virginalis, utpote perfectissima liberatio a sequelis maledictionis Hevæ annexam habet immunitatem a servitute mortis et resolutione corporis: a Virgine per modum u n i u s quævis arcetur corruptio.

Arguimus tertio ex nexu inter virginitatem perpetuam etiam in partu et immunitatem a corruptione sepulchri prout a SS. Patribus constanter asseritur:

PRÆAMBULA:

Patres enim et liturgiæ: 1° considerant incorruptionem in partu tamquam fundamentum **ontologicum** exemptionis a resolutione in sepulchro, ita ut ad novam vitam transire debuerit; Nempe 2° Immunitatem a peccato originali, Virginitatem in partu, exemptionem a corruptione sepulchri et servitute mortis exhibent instar **unius magni decoris, unius** admirabilis privilegii Matris Dei i. e. perfectæ immunitatis a quavis corruptione.

Hæc cogitatio totam traditionem præsertim Orientis pervadit, quare intimam rationem huius nexus inter triplicem istum decorem indagare profecto operæ pretium est. Qua in re pretiosum adminiculum præstant Liturgiæ, specie Armena. Conceptio autem quam exposituri sumus etiam apud Patres Græcos invenitur et iam ætate Concilii Ephesini in communi professione Ecclesiæ erat.[1]

Deus iudex infligens sententiam pœnalem mulieri intimaverat: »In dolore paries filios.« — Maria propter immaculatam conceptionem tamquam mater Dei eximitur a pœnis peccati et quidem propter maternitatem divinam perfectissimo modo ab ipsa eliminantur dolores partus quos sententia Dei-iudicis Hevæ comminata erat.[2]

---

[1] Cf. testimonia Theodoti Ancyrani p. 45 et Nestorii superius p. 43 citata.

[2] Hanc libertatem a maledictione uti proclamatam salutatione Gabrielis Archangeli urget ipsa Bulla: „Ineffabilis": Cum vero ipsi patres ecclesiæque scriptores animo menteque reputarent, beatissimam Virginem ab Angelo Gabriele . . . gratiam plenam esse nuncupatam, docuerunt, hac singulari solemnique salutatione numquam alias audita, ostendi, Deiparam

Perfectissimum autem modum immunitatis ab istis doloribus admiramur in partu virginali Mariæ. Partus ergo virginalis indicium exstat Mariam liberam esse omnino a maledictione. Ista porro libertas perfectissima a maledictione Hevæ profundissima ratio istius nexus inter triplex istud privilegium comprobatur. **Immaculata Conceptio Matris Dei** instar radicis eliminat maledictionem, proinde dolores partus; partus virginalis **perfectissimo modo** eximit ab istis doloribus, eo quod vulva non infringitur. Virginalis autem partus indicium est libertatis a maledictione, quæ in Adamo obstrinxerat totum genus ab ipso oriundum, proinde **exemptionis a resolutione sepulchri.**[1]

---

fuisse omnium divinarum gratiarum sedem omnibusque divini Spiritus charismatibus exornatam, immo eorundem charismatum infinitum prope thesaurum abyssumque inexhaustam, adeo **ut numquam maledicto obnoxia** et una cum filio, perpetuæ benedictionis particeps ab Elisabeth divino acta Spiritu audire meruerit: „Benedicta tu inter mulieres et benedictus fructus ventris tui." Mansi t. 47 col. 122.

Partum autem virginalem concipiendum esse ut exemptionem a maledictione Hevæ clare docet Angelicus. Ad obiectionem enim sibi propositam: „Videtur quod Christus non fuerit natus sine dolore matris. Sicut enim mors hominum subsecuta est ex peccato primorum parentum, secundum illud Genes. 2, 17: Quacumque die comederis ex eo, morte morieris, ita etiam dolor partus, secundum illud Genes. 3, 16: In dolore paries filios . . ." ita respondet S. Doctor: Dicendum, quod dolor partus consequitur in muliere commixtionem virilem. Unde Gen. 3, postquam dictum est: **In dolore paries,** subditur: **Et sub viri potestate eris.** Sed sicut dicit Augustinus . . ., **ab hac sententia excipitur Virgo mater Dei, quæ, quia sine peccati colluvione, et sine virilis admixtionis detrimento Christum suscepit, sine dolore genuit, et sine integritatis violatione, pudore virginitatis integro permansit.** 3. p. q. 35 a. 6 ad 1[um].

[1] Eodem modo iam **Nestorius** partus virginalis momentum extulerat: „Multiplices gemitus in parturitione feminarum pœna peccati est et parere quidem non est maledictum, non enim benedictio in maledictum daretur; in tristitia autem parere, hoc est ex maledicto illo onus trahitur post peccatum. Parere namque naturam doloribus partuum punctam, angoribus tabescere, acerbi partus metum sustinere . . . horum tristium omnium naturæ sermo magister est brevis: in tristitia paries filios . . .

Sed miserator Dominus non despexit illos naturæ fœtus condemnatos, sed fœminæ in uterum adveniens, **vertit in illa matre consuetudinem pariendi et mutavit in illa partuum leges** (parturitiones enim Sanctæ Virginis immunes a mœroribus præparaverat et naturæ humanæ matrem donavit innuptam) . . . *(τὸ)* multiplicans multiplicabo tristitias tuas et gemitus tuos per hoc solvit ubi dictum est **Ave gratia Dei plena;** *(τὸ)* **in tristitia paries filios . . .** solvit per id quod scriptum est: Benedictus fructus ventris tui . . . (Loofs Nestoriana a. l. p. 324-326).

Ipsum argumentum:

Lætabundi hic iterum testem advocamus strenuum propugnatorem gloriæ Mariæ, magnum Doctorem **Ephræm Syrum:** „Quem gestabam sustulit me fœtus, ait Maria, submissisque alis pennis suis complexus **sublime vexit per aera,** edixitque: Quæ vides ima cum summis proli tuæ subiecta parebunt ... Audii illum ab Angelo Gabriele Dominum appellari et a pontifice servo iam sene vidi gestatum, ... Qui olim Mosis interitum petens Hebræorum sobolem suffocavit diabolus, infantes Bethlehemiticos occidit, quo Deo viventi vitam eriperet. Profugit in Ægyptum, qui in Iudæam venerat laboriosam: scilicet ipse se capere volentem, capere volebat ... Cum adhuc virgo esset ignominiosa folia induit Eva mater nostra; quæ vero **perseverante etiam virginitate** mater tua effecta est, gloriosam stolam suscepit,

---

Eadem conceptio occurrit in **Liturgia Coptica:** „Antea decepit eam (Evam) serpens, ut manducaret de fructu arboris: venit supra ea maledictio: Paries filios in dolore ventris. Vidit Deus genus hominum, quod supra eos dominationem haberet satanas, misit Filium suum ad sanandum mundum ut salvaret Adam et omnes filios illius: facta est hæc virgo ... commoratio Verbi Dei propter suam puritatem et virginitatem suam, quia nullus est tam electus similis illi.

Filius Dei misericors erga genus nostrum, exeunte eius divinitate per radium carnem sumpsit de sua ipsius matre. Fuit uterus Mariæ hospitium Dei, **ipsa parturiit eum mundo remanens Virgo.**"

(Difnar II ed. de Lacy o' Leary. London 198 p. 21 sq.) Virginitas in partu servata opponitur maledictioni: »Paries filios in dolore ventris.«

Eodem modo **Abraham Ephesinus:** „Hodie antiquum maledictum solvitur; ubi enim hoc **Ave** super terram prolatum est, cessavit illud ‚in tristitia paries filios'." (utpote quia Virgo conceptura est de Spiritu Sancto.) Oratio in Annunt. B. Mariæ Virginis: Graffin-Nau Patriol. Orient. t. XVI. Iugie, Homélies Mariales p. 44. Pariter postea **Gregorius Palamas** attestatur: „Domina est Virgo, quatenus per dignitatem omnium regina, quoniam eum qui natura est mundi Dominus in **utero virginali concepit et divinitus peperit.** Adhuc etiam Domina est non modo quia a servitute immunis, et divinæ dominationis particeps, sed etiam quia fons et radix generis humani liberationis præsertim in partu tam læto quam ineffabili. Viro enim conjugata potius est dominata quam domina, præsertim in pœnoso dolorosoque partu secundum illam in Evam maledictionem: ‚in dolore paries filios; ... sub viri potestate eris et ipse dominabitur tibi;' qua maledictione **Virgo Mater** genus humanum liberatura e contra salutem ab angelo et benedictionem accepit. Nam scriptum est: Ingressus angelus dixit ad Virginem: Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus ... Insuper illam quæ quasi iam in ea recubantem conceperit eum in quo sunt omnes thesauri conspiciens, prævidensque eius graviditatem dolore immunem et partum labore liberum ... **solam benedictam et glorificatam in mulieribus** merito indicavit." In Annunt. immaculatæ Dominæ nostræ Deiparæ semperque Virginis Mariæ. MG 251, 171.

omnium mortalium nuditati indumenta provisuram. Parum illi corporis pannum commodavit, qui nos omnes vestit et ornat. O beatam illam, cuius cor et mentem obtines! Regis aula facta est, te regni hærede illam habitante, teque summo sacerdote ibidem sacra faciente in Sanctum Sanctorum transiit. Eva nidus et caverna colubro execrabili facta est, ex quo suggestum ab illo consilium illam expugnavit et insedit. Evasit etiam eiusdem cibus, ex quo in terram rediit."[1]

Ad quem textum adnotes velim: 1° Iam initium huius testimonii obvie sumptum indicare gloriam Virginis tum quoad corpus tum quoad animam; 2° Extolli victoriam Christi de diabolo forma ista Patribus usitatissima: Ipse (Christus) se capere volentem (diabolum), capere volebat. „Maria tamquam Mater" Christi in oppositione ad Hevam auctricem perniciei hic simul ponitur cum Benedicto Filio suo associata in omnibus istis eventibus, quibus manifestabatur colluctans cum hoste infernali. 3° Iterum in oppositione ad Hevam corruptam a colubro et propterea in pœnam huius inobœdientiæ corruptioni sepulchri subiectam ... Maria incorrupta Virgo permansit in partu et in Sancta Sanctorum transiit; profecto non tantum quoad animam, sed **etiam quoad corpus.** Per hoc enim momentum, quod in Sancta Sanctorum transiit opponitur Hevæ traditæ corruptioni sepulchri. Insuper Maria exhibetur tamquam gloriosam stolam suscipiens, dum Heva folia ignominiosa induit ... et gloriam omnium mortalium nuditati provisuram, quæ omnia nonnisi statui glorioso corporis accommodari possunt. Deinde perspicue iam elucet e verbis Doctoris Syri idea omnimodæ incorruptibilitatis Virginis tum quoad animam tum quoad corpus instar unius fulgoris coruscantis. Item partus virginalis ipsi est exemptio a doloribus partus. „Beata quæ concepit absque viro et læte prolem suscepit absque semine; beata quæ dolores maritatarum haud experta exsultavit in fructu matrum. Minus est os meum ut beatitudinem eius prædicet. Beatissima

[1] Sermo XII in Natalem Domini: Opera omnia quæ exstant Syr. et Lat. t. II p. 430.

quippe in omnibus admirabilis est. Signacula enim servavit intemeratæ castitatis et prolem habuit partus dolores removentem."[1]

Hisce congruunt, quæ S. Ephræm alibi tradit: „Quod tantum conceperim filium, sic enim Virginem Mariam secum allocutam fuisse credibile est, id me præ omnibus, qui salutem adepti sunt mirifice recreavit: quod ipsum genuerim, me supra omnes sanctitate eminentes viros decoravit. Ingrediar modo in virentia Paradisi pomaria ibique Deum laudabo, ubi Eva misere concidit. Hoc fortasse non parvi momenti erit, quum in matrem me elegerit, seque mihi in filium esse dignatus fuerit . . ."[2]

Cum hic agatur de virentibus Paradisi pomariis in oppositione ad hortum, in quo committebatur peccatum Hevæ, iam innuitur gloria Virginis quoad corpus.

S. Gregorius Nyssenus († post 394) pariter vult probare virginitatem vincere mortem et tamquam summam et completam victoriam, **in qua mors contrita est respicit victoria Mariæ per Filium suum ratione virginalis conceptus et partus.**

„Ὥσπερ γὰρ ἐπὶ τῆς Θεοτόκου Μαρίας ὁ βασιλεύσας ἀπὸ Ἀδὰμ μέχρις ἐκείνης θάνατος ἐπειδὴ καὶ κατ' αὐτὴν ἐγένετο, καθάπερ τινὶ πέτρᾳ τῷ καρπῷ τῆς παρθενείας προσπταίσας περὶ αὐτὴν συνετρίβη· σῦτως ἐν πάσῃ ψυχῇ τῇ διὰ παρθενείας τὴν ἐν σαρκὶ παριούσῃ ζωὴν συνετριβήσεται . . . . τοῦ θανάτου τὸ κράτος."[3]

Versio Latina apud Migne sensum textus originalis non reddit, sed passus Græco idiomate citatus ita verti debet: „Sicut enim in Dei Genitrice Maria mors, quæ ab Adam usque ad ipsam regnavit, **cum etiam contra ipsam fieret,** quemadmodum in aliquo lapide in fructu virginitatis se illidens, **in ipsa contrita est,** ita etiam in omni anima quæ per virginitatem hanc vitam in carne cohibet, atteretur et

[1] S. Ephræm Hymni de B. Maria. Ed. Lamy II, 548.
[2] Opera omnia Syr. et Lat. t. III De diversis Serm. duodeviginti, Sermo I p. 600.
[3] MG. 46, 377 D.

dissolvetur potentia mortis." Perpendamus paucis momenta huius textus gravissimi:

1° Textus clarissime exprimit ideam Patribus solemnissimam **identitatis victoriæ Mariæ de diabolo et morte cum triumpho Christi.** Immediate debellatio Satanæ fit per Christum in Cruce, sed **Maria hac eadem victoria potitur.** Ideo mors adoriens Christum et beatissimam matrem eius devincitur et conteritur. Quomodo autem Mariæ vindicari posset victoria de morte, si captiva retineretur a morte? Quare Verba Sti Doctoris Cappadocis assumptionem Virginis quoad corpus et animam in gloriam cœlestem clamant.[1]

2° Sicut id, quod in lapidem incidit, confringitur, ita mors illisa in fructum **Virginitatis** conteritur, devincitur et hoc S. Gregorius affert ad ostendendum **per virginitatem** mortem devinci. **Quomodo igitur in Virgine præcise virginitas in partu mortem devicit?**

Victoria de diabolo et morte Mariæ competit qua Matri Dei. Matrem autem Dei Mariam salutare licet, quia genuit Deum, quia naturam humanam communicavit ipsi personæ divinæ, **quia ergo eius actus generationis terminatur in ipsam personam Verbi.** Ad hoc autem requirebatur, ut ipsa efformatio Sanctissimi corporis Christi in castissimis visceribus Mariæ opera Spiritus Sancti involveret in se unitionem ad personam Verbi. Conceptum virginalem testante revelatione secutus est partus virginalis. Maternitas ergo divina sibi vindicans victoriam de hoste infernali cum virginitate in conceptu et partu intime connectitur et iterum virginitas in partu (includens iam virginalem con-

[1] Merito in hunc textum hæc scribit laudatus Iugie: „La construction de la phrase indique sans doute que le principale triomphateur c'est le Fils; mais incontestablement la Mère est associée à ce triomphe. Dans la phrase *περὶ αὐτὴν συνετρίβη—αὐτὴν* désigne bien Marie et non *πέτρα* ou *παρθενεία;* car *συνετρίβη* est le verbe de la phrase principale et la comparaison est établie entre la mère de Dieu et les vierges. Si Marie après être morte a triomphé de la mort au point qu'on puisse dire, que celle-ci s'est brisée contre elle, c'est donc qu'elle est resuscitée". La mort et l'Assomption de la Sainte Vierge dans la tradition des cinq premiers siècles: Ech. d'Orient 25 (1926) 131.

ceptum) cum victoria de diabolo et morte concipitur et celebratur a Patribus instar **unius pretiosissimi cimelii nempe omnimodæ incorruptibilitatis.** Cum autem incorruptibilitas sepulchri intime cohæreat cum divina Maternitate, cum perpetua Virginitate in conceptu et partu, immo concipitur tamquam **pars huius singularis prærogativæ Mariæ,** iam patet, cum ceteræ partes huius incorruptibilitatis innitantur revelationi divinæ, pariter etiam immunitatem a resolutione corporis censendam esse divinitus revelatam.

Hanc ideam omnimodæ exemptionis a corruptione etiam corporis firmiter in traditione radicatam fuisse nobis persuadent iam verba **S. Hippolyti** præsertim si simul cum textu aliquo **Severiani Gabalorum** episcopi († post 408) sumuntur. Verba S. Hippolyti nobis a Theodoreto conservata exstant: „Porro autem arca ex lignis quæ putrescere non poterant, erat ipse Salvator. Per hanc enim putredinis et corruptionis expers eius tabernaculum significabatur, quod nullam peccati putredinem genuit. Nam qui peccavit, confitetur et dicit: ‚Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ ob insipientiam meam.' Dominus autem a peccato alienus erat, **et ex lignis putrefactioni non obnoxiis secundum hominem, hoc est ex Virgine** et **Spiritu Sancto,** intus et foris tamquam purissimo Verbi Dei auro circumtectus."[1]

Tabernaculum i. e. corpus Domini corruptionis expers fuit, eo quod nullam peccati putredinem genuit. Dominus autem a peccato alienus erat, quoniam ex Virgine de Spiritu Sancto conceptus est. Propterea etiam Virgini prærogativa incorruptibilitatis vindicatur. Neque agitur hic tantum de incorruptione propter conceptionem et partum virginalem, sed de incorruptibilitate secundum eum respectum, quod materiam sanctissimi corporis Domini præstitit i. e. **de incorruptibilitate corporis.** Merito hæc verba commentatus est Iugie: „Marie est comparée ici à un bois imputrescible non exposé à se corrompre suivant

[1] Apud Theodoretum. Dialogus I. — Immutabilis MG 83, 86-87.

le sens de l'adjectif grec *ἄσηπτος*. Il ne s'agit pas ici directement de sa virginité, mais d'une qualité de sa chair qui a fourni la matière du corps *ἄσηπτον* du Verbe incarné. Le corps de la Mère possède la même prérogative que le corps de son Fils: il ne saurait se corrompre. Ailleurs il dit que »le Verbe de Dieu, qui était incorporel, **revêtit la chair sainte prise de la Sainte Vierge,** comme un fiancé revêt un vêtement« et il voit en Marie la tige de Jessé dont le Christ est la fleur. (De Antichr. 8 ed. Achelis p. 9). Ces textes montrent bien que pour Saint Hippolyte le corps de Marie est assimilé au corps de Jésus."[1]

Sed hæc quam maxime confirmantur illis, quæ ex scriptis superius laudati Severiani Gabalorum de Beatissima Virgine citat idem clarissimus Iugie: *„Καλῶς τὸ εὑρέθη· ἀξία γὰρ μυροθήκη τῆς χάριτος, ὀυρανοῦ τάξιν λαχοῦσα, ἀσηπτὸς κιβωτὸς εὑρεθεῖσα, ἣ τὸν ἀχώρητον λόγον ἀσυστάτῳ λόγῳ χωρήσασα καὶ τὰς πλάκας τῶν εὐαγγελίων δεξαμένη."*[2]

Superius ipsum Dominum quoad corpus a Sancto Hippolyto **arcam expertem omnis corruptionis** celebratum audivimus et præcise quia agitur de ipso Christo hac dictione quælibet corruptio arcetur tum quoad animam, tum et hoc magis directe quoad corpus. Hic Severianus immediate Matrem Dei tamquam **arcam putredini et proinde omni corruptioni** inacessibilem salutat. Quare pariter ac in Christo magis directe incorruptibilitas corporis extollitur, ita profecto etiam in Benedicta inter mulieres immediate immunitas a resolutione corporis in sepulchro urgetur, quamvis absque dubio quævis corruptio excludatur. Mariæ enim **eadem immunitas** vindicatur ac Christo, **etsi diverso titulo.** Quare Severianus egregie nova luce collustrat testimonium S. Hippolyti iterum testimonium reddens fidei patriæ Syriæ.

---

[1] La mort et l'Assomption de la Sainte Vierge dans la tradition des cinq premiers siècles: Echos d'Orient 26 (1925) 6-7.

[2] Cit. ibid. a Iugie a. l. p. 134 ex Cod. Vat. græc. 1192 fol. 60 r; De Severiano coævo S. Ioannis Chrysostomi hæc inter alia refert Bardenhewer: „Der Erfolg, welchen Antiochus von Ptolemais mit seinen Predigten zu Konstantinopel erzielte, reizte Bischof Severianus von Gabala, unweit Laodicea in Syrien, gleichfalls in der Hauptstadt sein Glück zu versuchen.

Hesychius Presbyter † 433 (cf. Notam MG. 93, 781) proclamat in laudem Virginis, quod servata virginitate Filium Dei peperit. Deinde Christus quoad corpus et animam vocatur flos immarcescibilis. Nam dum in terra caro Christi patitur, in cœlis ei requies vindicatur. Postea additur: »Surge Domine in requiem tuam tu et arca sanctificationis tuæ«, quæ est haud dubie Virgo Deipara. Si enim tu es gemma, merito illa est arca. Et quia Sol existis necessario Virgo vocabitur cœlum. Cum sis flos immarcescibilis, profecto **Virgo erit planta incorruptionis, et paradisus immortalitatis:** in quem Isaias hæc prospiciens nuper acclamabat dicens: »Ecce Virgo in utero concipiet et pariet filium, et vocabunt nomen eius Emmanuel.«[1]

Sicut ergo Christus tum quod corpus tum quoad animam est flos immarcescibilis, **ita pariter Virgo quoad corpus et animam planta est incorruptionis et paradisus immortalitatis.** Et eo vel magis Hesychius censendus est loqui de incorruptione **tum quoad animam tum quoad corpus,** quia in immediate antecedentibus celebrat incorruptionem Virginis in conceptione et in partu.[2]

Hesychius nobis exhibet incorruptibilitatem omnimodam Virginis ut quid unum, cuius singula prærogativæ constitutiva eodem modo nobis proponuntur.

Abhinc in Traditione immunitas Beatissimæ Virginis a corruptione sepulchri et permanentia in morte constanter annectitur virginitati in conceptione et partu, ita ut hæc perpetua virginitas Mariæ ratio **ontologica** exhibeatur istius exemptionis a lege mortis et resolutionis seu potius hæc omnia se prodant **ut constitutiva incorruptibilitatis omnimodæ,** quæ Matri Dei vindicatur; nequaquam Patres

---

Und auch er fand großen Anklang, namentlich in den Kreisen des kaiserlichen Hofes. . . . (Er) war an Wissen und Schriftkenntnis Antiochus überlegen (Socr., Hist. eccl. 6, 11; Sozom., Hist. eccl. 8, 10). Auch Gennadius bescheinigt ihm: In divinis scripturis eruditus et in homiliis declamator admirabilis fuit". (De vir. ill. 21.) Gesch. d. Altk. Lit., Freiburg 1912, Herder. III p. 363-364.

[1] MG. 93, 1462-1463.

[2] Ibid. col. 1462.

cogitabant de **logica** deductione incorruptionis in sepulchro e partu virginali.

Cum autem hæc perpetua virginitas in prædicatione Ecclesiæ semper viguerit tamquam veritas formaliter revelata et dogma fidei, etiam hæc exemptio a vinculis et dominio mortis tamquam formaliter revelata habenda est, cum Patres, si obvie sumuntur eorum verba, eodem modo utramque proponant.

Testis invictus huius doctrinæ exstat **Liturgia Græca:** „In manus Domini Filii tui animam sanctam cum commendasses, corpus quidem non reliquisti. Sicut enim eum, qui omnium vita est, suscepisti, sic post mortem ad vitam translata iis qui te veram Dei Genitricem confitentur, largiris vitam sempiternam."[1]

„Tibi rex rerum omnium Deus ea quæ supra naturam sunt, tribuit: **Sicut enim in partu te virginem custodivit, sic et in sepulchro corpus tuum incorruptum servavit et per divinam translationem conglorificavit."**[2]

„In vita degebat Maria vigilans oculo, in carne existens supplicans et contemplans; morte habitaculum adiit et in locis degit cœlestibus: ea quæ alveum largiorem tabernaculi cœlestis obtinuit, utpote quæ erat domus et thronus et locus habitationis Christi amplus, quoniam cum ipsa Filius Dominus ubique coëxistit, qui ventrem semper virginalem inhabitavit."[3]

---

[1] „*Ταῖς τοῦ Δεσπότου καὶ Υἱοῦ σου παλάμαις παραθεμένη τὴν ψυχὴν τὴν ἁγίαν· οὐδὲ τὸ σῶμα ἔλιπες πανύμνητε· Ὥσπερ ὑπεδέξω γὰρ τὴν ζωὴν τῶν ἁπάντων οὕτως μετὰ θάνατον πρὸς ζωὴν μεταστᾶσα τοῖς Θεοτόκον σε παναληθῆ εἰδόσι βρύεις ζωὴν τὴν αἰώνιον.*" Ex Menæis editis a Philippo Vitali Ieromonacho Cryptoferratensi. Romæ 1732, Typ. Congr. de Prop. Fide. *Μὴν Αὐγοῦστος τῇ ιέ. Ἡ Κοίμησις τῆς ὑπεραγίας Δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου. Κάθισμα ἦχ. δ'. Πρὸς τὸ ὑψωθείς . . .* p. 192.

[2] „*Νέμει σοι τὰ ὑπὲρ φύσιν ἄναξ ὁ πάντων Θεὸς· ἐν γὰρ τῷ τίκτειν παρθένον ὥσπερ ἐφύλαξεν· οὕτως ἐν τῷ τάφῳ τὸ σῶμα διετήρησεν ἀδιάφθορον καὶ συνεδόξασε θεία μεταστάσει· γέρα σοι ὥσπερ Υἱὸς Μητρὶ χαριζόμενος.*" Ibidem p. 194; item invenitur in *Μήναια τοῦ ὅλου ἐνιαυτοῦ, ἔκδοσις πρώτη, τόμος ζ', Ρώμῃ* 1901. p. 415.

[3] „*Ὑπὲρ ζωῆς μετέστη Μαρία γρηγοροῦσα τὸ ὄμμα: μεταστᾶσα σαρκὶ πρεσβεύουσα καὶ σκέπουσα· κοιμήσει μετῆλθε τὴν παροικίαν καὶ ἐν*

„Usque ad vestigia mortis (Maria) devenit communem habens generis humani habitationem, ut mortalibus et fluxis manifestaretur ille, qui ex ea natus est iuxta perfectæ naturæ terminos. Et qui sinum semper virginalem inhabitavit virginem iacentem secum eminus rapuit absque corruptione."[1]

„Quamobrem omnis homo etsi quantumcumque vixerit extremum temporis momentum et mortem videbit; Maria temporum rationem supergressa communem cum Domino temporum mansionem habet, haud passa per corruptionem a carne solvi, ut quidem par erat; quoniam oportebat vas illud communis vitæ morti haud obnoxium nullam corruptibilitatis suscipere iniuriam. Deus ad immortalem transmigrationem (ipsam perduxit); ipse qui inhabitaverat uterum semper virginalem."[2]

Echos III: „In parturitione tua conceptio sine semine, **in Dormitione tua mors absque corruptione.** Miraculum duplex in te accidit, Dei Genitrix. Sicut enim pura es absque viro prægnans, ita Mater Dei in morte ungeris. Propterea cum angelo tibi acclamamus: Gaude gratia plena."[3]

τόποις διάγει τοῖς οὐρανίοις· ἡ οὐρανῶν πλατυτέραν σκηνῆς κτησαμένη νηδύν· ὡς οὖσα οἶκος καὶ θρόνος καὶ χωρίον Χριστοῦ· πολυχώρητον· ὡς ταύτης δε τέκνον ὁ Κύριος μετ' αὐτῆς συνηπάρχει διαπαντός· ὁ μήτραν οἰκήσας ἀειπάρθενον. Ex Men. e. a Phil. Vitali Oechus VI. p. 195.

[1] *„Πρὸς ἴχνος θανάτου ἐνεδιέβη τῇ τοῦ γένους οἰκία συγκοινωνοῦσα ἵνα φανῇ ὁ τεχθεὶς ἐξαὐτῆς ὡς ἀπὸ γυναικὸς. Καὶ ὀδεύουσιν ἐπικειμένην συνήρπασεν τὴν ἀγνὴν ἀπὸ μήκοθεν δίχα φθορᾶς· ὁ μήτραν οἰκήσας ἀειπάρθενον· οἶκος ε.* Ex Men. ed. a Phil. Vitali p. 195;

Hi *οἶκοι* insigniuntur titulo: *„Οἱ οἶκοι ὧν ἡ ἀκροστιχίς: Τοῦ ταπεινοῦ Κοσμᾶ,* unde erui potest ipsos attribuendos esse initio sæculi VIII.

[2] *„Πᾶς τοιγαροῦν· ἀνθρώπων ὁ ζήσας πάντως ὅτι τοῦ χρόνου· τοῦ ἐσχάτου ῥοπήν· καὶ θανάτου ἐπόψεται· Μαρία δὲ χρόνους διαδραμοῦσα τῷ τῶν χρόνων δεσπότῃ συνδιαιτᾶται· διαφθορὰν μὴ παθοῦσα σαρκὶ ἀναλῦσαι εἰπός· διότι ἔδει τὸ σκεῦος· τῆς Ζωῆς τῆς κοινῆς τὸ ἀκοίμητον ῥεύσεως ὕβριν μὴ δέξασθαι· Ὁ Θεὸς εἰς ἀθάνατον καταλλαγήν· Ὁ μήτραν οἰκήσας ἀειπάρθενον·* Ex Men. ed. a Phil. Vitali p. 195.

[3] *Ἦχος γ': „Ἐν τῇ γεννήσει σου, σύλληψις ἄσπορος, ἐν τῇ κοιμήσει σου νέκρωσις ἄφθορος· θαῦμα ἐν θαύματι διπλοῦν συνέδραμε, Θεοτόκε· Πῶς γὰρ ἡ ἀπείρανδρος βρεφοτρόφος ἀγνεύουσα, πῶς δε ἡ Μητρόθεος νεκροφόρος μυρίζουσα. Διὸ σὺν τῷ ἀγγέλῳ βοῶμέν· Χαίρε, ἡκεχαριτωμένη. Μήναια,* ed. *Ρώμη* 1901 a. l. p. 412.

Echos I: „**In parturitione virginitatem servasti, in Dormitione tua mundum non reliquisti, Dei Genitrix,** Transiisti ad vitam Mater Vitæ cum sis, et intercessionibus tuis a morte redimis animas nostras."[1]

Idem omnino attestatur Menologium Ecclesiæ Schismaticæ: Im Gebären hast Du die Jungfräulichkeit bewahrt, im Entschlafen die Welt nicht verlassen, o Gottesgebärerin; Du bist übergegangen zum Leben, die Du bist die Mutter des Lebens und durch Deine Fürbitten auslösest vom Tode unsere Seelen."[2]

Echos II in Cantico vocato Kontakion: „In intercessione sua indefessam Dei Genitricem et in protectione immutabilem spem **neque sepulchrum neque mors superaverunt;** nam tamquam matrem Vitæ ad vitam transtulit ille, **qui matricem semper virginalem inhabitavit.**"[3]

Ode IX: „Superati sunt in te fines naturæ, Virgo immaculata. In partu Virgo permanes et vitam poscit mors. **Post partum Virgo etiam post mortem viva,** semper salvas Dei Genitrix hereditatem tuam."[4]

---

[1] *Ἦχος α΄: „Ἐν τῇ γεννήσει τὴν παρθενίαν ἐφύλαξας, ἐν τῇ κοιμήσει τὸν κόσμον οὐ κατέλιπας, Θεοτόκε. Μετέστης πρὸς τὴν ζωήν, Μήτηρ ὑπάρχουσα τῆς ζωῆς, καὶ ταῖς πρεσβείαις ταῖς σαῖς λυτρουμένη ἐκ θανάτου τὰς ψυχὰς ἡμῶν."* *Μήναια*, ed. *Ρώμη* 1901 a. l. p. 411.

[2] A. Maltzew: Menologion der Orthodox-kath. Kirche des Morgenlandes; II. Teil: März-August. Deutsch und Slavisch. Berlin 1901. p. 726.

[3] *Ἦχος β΄: „Τὴν ἐν πρεσβείαις ἀκοίμητον Θεοτόκον καὶ προστασίαις ἀμετάθετον ἐλπίδα τάφος καὶ νέκρωσις οὐκ ἐκράτησεν· ὡς γὰρ ζωῆς Μητέρα πρὸς τὴν ζωὴν μετέστησεν ὁ μήτραν οἰκήσας ἀειπάρθενον"* *Μήναια* ed. *Ρώμη* 1901 a. l. p. 416.

Idem apud Maltzew in Menologion ita: „Die in Fürbitten unermüdliche Gottesgebärerin und in der Vertretung unerschütterliche Hoffnung hat das Grab und der Tod nicht überwältigt; denn als die Mutter des Lebens hat sie zum Leben hinübergeführt er, der einst ihren jungfräulichen Schoß zur Wohnung genommen" a. l. p. 731.

Agi de translatione ad vitam **quoad corpus** sequitur exinde, quod **mors corporalis illam non superavit.** Permanentia autem in morte et sepulchro manifestaret præcise dominium et victoriam mortis.

[4] *Ὠιδὴ θ΄: „Νενίκηνται τῆς φύσεως οἱ ὅροι ἐν σοι Πάρθενε ἄχραντε· Παρθενεύει γὰρ τόκος καὶ ζωὴν προμνηστεύεται θάνατος. Ἡ μετὰ τόκον Πάρθενος καὶ μετὰ θάνατον ζώσα σώζεις ἀεὶ Θεοτόκε τὴν κληρονομίαν σου."* *Μήναια* ed. *Ρώμη* 1901 t. VI, p. 418.

Alii textus minus expliciti sunt, sed nihilominus sufficienti claritate et perspicuitate istam ideam produnt, quæ Mariologiam Græcorum pervadit, i. e. propter Virginitatem in partu eliminari corruptionem sepulchri. Ita:

Echos IV: „Gloriosa Dormitione tua glorientur cœli et Angelorum exercitus lætentur. Tota terra gaudet et canticum propter exitum canit tibi Matri omnibus dominantis, matrimonio non fruita, sanctissima virgo . . ."

. . . Vitam postquam concepisti ad vitam immortalem transiisti venerabili Dormitione tua, comitantibus angelis . . .[1]

Nequit hic tantum cogitari de immortalitate animæ cum totum officium agat de Assumptione quoad corpus.

Ode I: „Præmia victoriæ consecuta es, **quæ supra naturæ leges, pura, Deum portasti,** nihilominus ad imitationem Creatoris tui et Filii supra naturam te submittis legibus naturæ, propterea **mortua cum Filio resuscitata es ut vivas in æternum.**"[2]

„Ex te orta est vita, **quæ claustrum virginitatis non solvit. Quomodo nunc purum tabernaculum, præbens vitam mortis experimenti particeps est?**

Postquam vitæ principium præbuisti vitam æternam assecuta es. Per mortem enim ad vitam transiisti, quæ vitam subsistentem genuisti."[3]

In textu agi de **vita corporali** post mortem patet, quia extollitur tamquam **particulare privilegium propter partum virgineum.** In textu Græco habetur vox „*προμνήστεύεται*" i. e. quærere aliquam matrimonio ducendam. Sic ergo mors quærit et ambit pro Virgine novam vitam quoad corpus.

[1] *Ἦχος δ΄: „Τῇ ἐνδόξῳ κοιμήσει σου οὐρανοὶ ἐπαγγέλλονται καὶ Ἀγγέλων γέγηθε τὰ στρατεύματα· πᾶσα ἡ γῆ δε εὐφραίνεται, ᾠδὴν σοι ἐξόδιον προσφωνοῦσα τῇ Μητρί τοῦ τῶν ὅλων δεσπόζοντος ἀπειρόγαμε, Παναγία Πάρθενε . . . . . Τὴν ζωὴν ἡ κυήσασα πρὸς ζωὴν μεταβέβηκας τῇ σεπτῇ κοιμήσει σου τὴν ἀθάνατον, δορυφερούντων Ἀγγέλων . . ." Μήναια* ed. *Ρώμη* 1901 t. VI p. 419.

[2] *Νικητικὰ μὲν βραχεῖα ἤρω. κατὰ τῆς φύσεως, Ἀγνὴ, Θεὸν κυήσασα ὅμως μιμουμένη δε τὸν ποιητήν σου καὶ υἱὸν ὑπὲρ φύσιν ὑποκύπτεις τοῖς τῆς φύσεως νόμοις, διὸ θνήσκουσα σὺν τῷ υἱῷ ἐγείρῃ διαιωνίζουσα. Μήναιον. Ἐν Βενετίᾳ.* 1852 p. 75.

[3] *„Ἐκ σου ζωὴ ἀνατέταλκε τὰς κλεῖς τῆς παρθενίας μὴ λύσασα· Πῶς οὖν τὸ ἄχραντον ζωαρχικὸν σουσκήνωμα τῆς τοῦ θανάτου πείρας*

In cantico aliquo dicto cathisma in festo *τῆς Ἁγίας Εἰκόνος:*

„Quæ Deum concepisti absque semine, incarnatum genuisti absque corruptione, novam istam incorruptionem spiritus induis. Sicut enim Vitæ Mater exstas ...

... Ad vitam transiisti a conditionibus materiæ (corruptibilis) immunem."[1]

Hanc prægnantem significationem hoc loco voci *„ἄϋλον"* tribuere oportet, quæ quidem per se significat absque materia seu immateriale; at cum totum officium agat de Assumptione Virginis **quoad corpus,** hic non licet cogitare de vita animæ separatæ. Sed hic exprimitur Mariæ corpus elatum non amplius inveniri in misera conditione, huius vitæ corruptibilis, sed transiisse ad istum statum, ubi non amplius anima trahitur ad conditiones corporis, sed corpus ad conditiones animæ.

Margaritas omni splendore nitentes Virgini offert **Liturgia Veneranda Armenorum.**

„Dominum benedicite, exaltate Genitricem incomprehensibilis Verbi semper Virginem ... ut domus fornicato cubiculo similis, extructa es Sancta Virgo Deipara; incomprehensibile Verbum Deum purissime sine semine in tuo utero gestasti, ... translata es (in cœlum) superno curru cherubico, Deipara, cui ministrant seraphim ... tibi soli Matri et Virgini supplicamus ..."[2]

„Qui unigeniti Filii tui habitaculum ac protomatris partus dolores auferentem (Mariam) hodie in gloriam pristinam" (protoparentum reduxisti ... Deipara, nubes lucida, quæ rore vitæ terram rationalem aspersisti et pro-

---

γέγονε μέτοχον; Ζωῆς ὑπάρξασα τέμενος ζωῆς τῆς αἰδίου τετύχηκας· διὰ θανάτου γὰρ πρὸς τὴν ζωὴν μεταβέβηκας, ἡ τὴν ζωὴν τεκοῦσα τὴν ἐνυπόστατον." Μήναιον. Ἐν Βενετίᾳ. 1852. a. l. p. 76.

[1] *„Ἡ Θεὸν συλλαβοῦσα ἀνευσπορᾶς σαρκωθέντα τεκοῦσα δίχα φθορᾶς τὴν νέαν ἀμφιέννυσαι ἀφθαρσίαν τοῦ πνεύματος· ὡς γὰρ ζωῆς σu Μήτηρ, ... πρὸς τὴν ζωὴν μετέστης, Παρθένε τὴν ἄϋλον. Μήναιον. Ἐν Βενετίᾳ.* 1852. a. l. p. 82.

[2] Laudes et Hymni ad SS. M. V. honorem ex Arm. brev. excerpta Venetiis in S. Lazari insula anno 1877 p. 32-33.

tomatris punitionis ignem exstinxisti, perenni voce Te benedicimus ... **Te, virginali tua generatione prophetiarum complementum, qua naturæ nostræ leges sunt ablatæ, ignei chori in lucentissima tabernacula transtulerunt,** ... Qui incorrupta carne, luce amictus, ex Sancta Virgine natus es, ... hodie **Virginitatis Matrem** in lucentibus tabernaculis quiescere fecisti ...[1]

„Hodie Unigenitus, gloriose descendens, innuptam matrem, **dolorum protomatris virginali generatione delectricem** ad rationales ac ineffabiles supernas naturas transtulit; ... hodie luteam nostram naturam ignei chori videntes trepidarunt, corpus enim igneis curribus ab incorporeis ad cœlestia et inaccessa lucentia tabernacula delatum est ...[2]

„O flos mirabilissime odorem immortatilitatis ex Eden fragrans nobis filiis Evæ, qua mors per orbem diffusa est: laude Te magnificamus.

Quæ legem dolorum partus solvisti, maledictionem abstulisti et solem veræ lucis oriri fecisti qua tenebræ priores repulsæ sunt: laude Te magnificamus.[3]

„Immaculata Virgo Deipara, Maria Sancta et Mater Christi, ingestabilem omnibus in utero gestasti, hymno Te Dei Genitricem magnificamus.

... Tria mysteria tremenda in te videntur, Deipara, conceptio sine semine, partus sine macula, virginitas post partum manens incorrupta."[4]

Plura in hisce notatu digna:

a) Constanter Maria celebratur, eo titulo quod generatione virginali **dolores protomatris delevit, protomatris punitionis ignem extinxit.** Insuper partus virginalis simul ponitur cum statu omnino immaculato, cum puritate omnimoda B. Virginis, id quod tantumdem est iuxta fidem ecclesiæ Armenæ ac immunitas a peccato originali.

[1] Ibid. p. 40.
[2] Ibid. p. 44-46.
[3] Ibid. p. 54.
[4] Ibid. p. 64.

b) Virginalis partus in liturgia Armenorum solemniter exhibetur tamquam perfectissimus modus immunitatis a doloribus partus, qui sunt effectus maledictionis propter peccatum in Evam pronuntiatæ: multiplicabo ærumnas tuas, et conceptus tuos: in dolore paries filios . . .[1]

Per partum ergo virginalem Maria perfectissime restituitur in statum protoparentum ante sententiam maledictionis, proinde ante lapsum, id quod invenimus etiam in patribus Græcis eximentibus Mariam a maledictione Hevæ.

c) Nova ergo luce illustratur nexus inter immaculatam conceptionem, virginalem partum, immunitatem a corruptione sepulchri; immunitas enim a quavis corruptione non tantum ut unum concipitur, sed explicite ad ultimam radicem reducitur i. e. ad restitutionem Virginis perfectam in statum ante lapsum.

d) Exinde manifeste apparet immunitatem Virginis a corruptione sepulchri esse formaliter implicite revelatam in illa restitutione Virginis in statum ante lapsum, nam hanc traditio absque ullo dubio considerabat ut formaliter revelatam.

e) Neque profecto silentio prætereundem est, in liturgia armena sæpissime Mariam invocari titulo **„templi inviolabilis", „templi incorrupti".** Istis invocationibus profecto exprimitur Mariam propter partum virginalem inviolatam et etiam post partum Virginem permansisse. Sed istis invocationibus plene non satisfit, nisi concedas etiam includi incorruptionem in sepulchro et liberationem a vinculis mortis, præsertim cum alibi extollitur **templum** i. e. **corpus Mariæ** ad cœlos translatum esse.

A ripis Euphratis et Tigris laus Mariæ ad cœlos Assumptæ resonat ex ore **Ecclesiæ Chaldaicæ** candidato Martyrum exercitu ornatæ: Inde a VII. sæculo saltem hunc hymnum in sua liturgia canit: „O Mater luce irradiata, in die Assumptionis Tuæ a fructu, qui a Te germinavit

[1] Gen. III, 16.

[2] Laudes et hymni etc. a. l. p. 52, 68, 92, 98, 102.

misericordiam impetra pro populo, qui festivitati tuæ intervenit, qui diem mortis tuæ celebrat, ut unanimes amore perfecto nomen tuum exaltent clamantes: Benedicta tu, o Domina, sanctissima, benedicta tu, Virgo, puritatis fons, benedicta tu, o Virgo virginum, benedicta tu, quia in te omnes mulieres benedictæ fuere; benedicta tu in die Assumptionis tuæ maximopere angelos commovisti, qui venerunt, **ut cum honore animam tuam cum corpore purissimo** comitarentur ... Benedictus sit Christus, qui te, fontem puritatis honoravit **et ipse animam tuam et corpus tuum purissimum ad locum vitæ et in paradisum lætitiæ transtulit.** Implora nobis ab ipso misericordiam et remissionem peccatorum, ut digni efficiamur, qui tecum et cum Angelis clamemus: Alleluia."[1]

In Breviarium Nestorianorum et inde in Officium Chaldæorum Catholicorum postea inserti sunt hymni Georgii Warda, qui primo dimidio sæculi XIII. floruit. In Matutino festi Assumptionis hunc hymnum poeta solvit: „Quis mente cogitare et digne loqui valet de illa hu-

[1] In Vesperis festi Assumptionis die 15. Augusti. Breviarium Chaldaicum, Paris 1887, editio Bedjan. Traductio pro illis, quæ ex liturgia Chaldaica citantur a Reverendissimo P. David, Procuratore Generali Patriarchæ Babyloniæ Chaldæorum apud S. Sedem facta est. Ab ipso litteris communicatum est hunc hymnum saltem inde a septimo sæculo in liturgia secundum unanimem traditionem inveniri.

Quoad originem huius Breviarii hæc a Rubens Duval statuuntur: „Jésuyab de Gedala était accompagné dans son ambassade auprès d'Héraclius du fameux Sahdana et de Jésuyab d'Adiabène, qui devint patriarche sous le nom de Jésuyab III à la mort de Maremmeh en 650. Jésuyab III était né en Adiabène de parents fortunés; il fit ses études à Nisibe ... Ses œuvres dans le catalogue d'Ebedjésu comprennent: Une Réfutation des opinions (hérétiques); des traités de controverse; des oraisons funèbres; des discours ou homélies; des hymnes; une exhortation aux novices; plusieurs compositions liturgiques; ... **Jésuyab travailla aussi à une revision du Houdra ou Bréviaire nestorien.** Jésuyab d'Adiabène avait eu pour condisciples à l'École de Nisibe Enanjésu et le frère de celui-ci, nommé aussi Jésuyab ... Enanjésu ... se rendit à Jérusalem ... A son retour en Mésopotamie, le pieux moine se retira au couvent de Beit-Abe où il travailla avec Jésuab III à la revision du Bréviaire." Anciennes Littératures Chrétiennes. II La Littérature Syriaque. Troisième édition. Paris 1907, Lecoffre. p. 370-371.

In Nota hæc adduntur: „Une édition du Bréviaire nestorien retravaillé pour les Chaldéens catholiques a été publiée par le P. Bedjan à Paris 1886-1887, Breviarium Chaldaicum I-III."

mili, pura, sancta, **numquam a viro cognita, sed semper virgine, quæ a conceptione sua sanctificata fuit** et inde a sinu matris destinata est, ut sanctuarium, commoratio, habitatio, templum, sedes Domino in æternum viventi esset? ... Vitam eius miramur mortalem et in morte eius vitam admiramur ... In vita mundo mortua erat; in morte ipsa mortuos resurgere fecit. Prophetæ e sepulchris et Patriarchæ e pulvere prodierunt. Apostoli e quibus alii mortui erant, alii in longinquas terras dispersi ad ipsam adunati sunt. Angeli e cœlo descenderunt, ut ipsam prout mandatum erat, honorarent ... **Intravit in regionem nubium et exaltata est supra illas** a legionibus laudantium stipata, quæ illam exaltabant. Beata tu, o Maria, **Beata, o Virgo, quæ sponsa fuisti non cognita a viro. Beata, o mulier, quæ Filium concepisti, quin vir virginitatem tuam tangeret.** Beata, o Mater sine patre (te cognoscente) et Filius tuus amatissimus **sponsus tuus fuit.** Beata, o terra in qua Dominus Adæ formatus fuit et in te corporaliter habitavit ... Beata tu, virga Moysis sinum tuum altissimum esse attestatur. Ille qui plantatus non fuit et fructum protulit, in sinu tuo homo factus est. Beata tu, quam propheta laudavit et te Virginem et Filium tuum Dominum nominavit ... Beata tu, o Virgo, quæ senuisti et Virginitas in te semper fuit. Beata, o Virgo Mater, cuius virginitas tacta non fuit."[1]

Idem Georgius Warda in alio hymno ita canit: „Quis vidit iuvenem Virginem, quacum nomen virginitatis senuit, quæ sine marito Filium progenuit, miraculum inenarrabile. Non est illi similis in terra. Adam creatus est ex terra et in terram revertit. Filius Adami, qui ex Maria fuit genus humanum exaltavit. Fluvius qui e Paradiso exibat, periit. Ex Maria fluvius prodiit, qui a quatuor ovibus (Evangelistis) glorificatus est ... Ipsa arca carnis est, in qua verus Noe requievit, qui naturam nostram ab undis inimici salvavit ... Ipsa in sinu ignem portabat in corpore divina habitatio celebrabatur, in anima Spiritus

[1] Hymnus e Matutino in die festo Felicitationis Deiparæ 7. Januarii.

Sanctus volitabat et tota verum cœlum erat. Neve o lector me vituperaveris, quod ipsam cœlum dixerim; meliorem et puriorem cœlo ipsam credo ... Ipsa vellus est non lanæ, in quo Spiritus Sanctus habitavit sicut in vellere illo, quod rore maduit ... Maria vellus est, dum universa terra aquis peccati maduerat, Maria sola peccato tacta non fuit et dum universa terra sicca erat gratia in Maria Spiritus Sanctus habitavit, qui totam terram sanctificavit. O tu, quæ templum Domini fuisti et habitaculum Filii Altissimi et turris Filio Creatoris, quis in universo mundo tibi similis esse poterit.... In die separationis animæ a tuo corpore glorioso angeli de cœlo magna solemnitate venerunt, ut te honorarent.... Venit Adam, occisus ab uxore (seductus ad peccandum), ut Filiæ suæ exaltationem videret ... Ipsa super nubes in altum portata est et exaltata a spiritibus cœlestibus ... Credo, Domine ipsam vere tuam Matrem esse purissimam et alta voce clamo ipsam esse reginam virginum ...[1]

Sæculo idcirco minimum septimo Assumptio Virginis quoad corpus in manifesta et nullo modo dubia professione Nestorianorum erat. Item ab illa iam ætate hoc privilegium summæ puritati Mariæ innixum videmus. Cum posteriore tempore hymni Georgii Warda Officio inserti sint attenta summa tenacitate Orientis in conservandis semel traditis ideas istis canticis expressas fidei tantopere radicatæ plene concordasse certissime præsumere licet. Sed poeta Nestorianus nihil antiquius habet, quam ut puritatem Mariæ extollat, immunitatem a pernicie Adami, inviolatam etiam in partu virginitatem celebret omniaque privilegia etiam Assumptionem **propter istum illibatum candorem concessa esse inculcet.** Etsi deinde in canticis istis illæ narrationes de adunatione Apostolorum aliaque

[1] Quoad Georgium Warda Rubens Duval hæc adnotat: „Georges Warda d'Arbèles, composa une collection d'hymnes qui ont été insérées dans les offices de l'Eglise nestorienne et forment un recueil désigné sous le nom de Warda. La date de ces poésies est indiquée par les hymnes qui parlent des calamités survenues pendant les années 1224-1228 et 1235." Anciennes Littératures Chrétiennes. II La Littérature Syriaque. Troisième édition. a. l. p. 403.

istius generis intermixta appareant, attente perscrutatum totum argumentum et nexum non effugiet ista secundarie tantum apponi, fidem autem Assumptionis quoad corpus minime istis narrationibus, sed potius rationibus dogmaticis inniti: Cultum autem Assumptionis Virginis quoad corpus etiam apud Nestorianos adeo vigere speciali notatu dignum est. Etsi enim Nestorium Mariam non consulto despexisse plane concedamus, nihilominus eius hæresim apud asseclas suos reverentiam erga Virginem ut minus dicam non fovisse celari nequit. Quare nisi fides divinæ Matris in cœlum etiam quoad corpus assumptæ, quemadmodum etiam Conceptionis Immaculatæ et partus Virginalis iam **ante separationem ab Ecclesia Catholica** tantopere radicata fuisset vix ac ne vix quidem post catastrophen tanto vigore permansisset.

Sacramentarium Gregorianum: „Veneranda nobis, Domine, huius diei festivitas opem conferat sempiternam. In qua sancta Dei Genitrix mortem subiit temporalem, nec tamen nexibus mortis deprimi potuit, quæ Filium tuum Dominum nostrum genuit Incarnatum."

Et in Oratione super oblata: „Subveniat, Domine, plebi tuæ Genitricis oratio, quam etsi pro conditione carnis migrasse cognoscimus, in cœlesti gloria apud te pro nobis orare sentiamus."[1] — „Deus qui **virginalem aulam** beatæ Mariæ in qua habitares eligere dignatus es: da quæsumus..."[2] — „Magna est domine apud clementiam tuam dei genitricis oratio, quam idcirco de præsenti sæculo transtulisti, ut pro peccatis nostris apud te fiducialiter intercedat, quæ filium tuum dominum nostrum de se genuit incarnatum."[3]

---

[1] The Gregorian Sacramentary under Charles the Great edited from three Mss. of the ninth century by H. A. Wilson. London 1915, Henry Bradshaw Society (vol. 49) p. 97.

[2] Ibid. p. 96; textus etiam invenitur in: Das Sacramentarium Gregorianum nach dem Aachener Urexemplar ed. H. Lietzmann, Münster 1921, Aschendorff. p. 88.

[3] Das Sacramentarium Gregorianum ed. Lietzmann p. 88; — in Miscellanea Fr. Ehrle: Handschriftliches zur Rekonstruktion des Sacramentarium Gregorianum: Vol. II, Romæ, 1924, Bibl. Apost. Vat. clarissimus

In quos textus hæc adnotanda:

1°. Ecclesiam in sua oratione distinguere inter simplicem mortem et permanentiam in morte.

2°. Mariam retineri in dominio mortis excluditur, quia aula eius **etiam stante inhabitatione** Filii Dei **virginalis** permansit.

Sacramentarium Gothicum (Gallicanum): Ex Missa in Adsumptione sanctæ Mariæ Matris Domini Nostri: „Præfatio": „Generosæ diei Dominicæ genitricis inexplicabile sacramentum tanto magis præconabile, quantum est inter homines Adsumptione Virginis singulare: **apud quam vitæ integritas obtinuit Filium et mors non invenit par exemplum:** nec minus ingerens stuporem de transitu, quam exultationem ferens unico beata de partu. Non solum mirabilis pignore, quod fide concepit; sed translatione prædicabilis, qua migravit ... ut eius adiuti muniamur suffragio; quæ fœcunda Virgo, beata de partu, clara de merito, felix prædicatur abscessu ..."[1]

„Collectio post nomina": „Habitatorem **virginalis hospitii,** sponsum beati thalami, Dominum tabernaculi, Regem templi, qui eam innocentiam contulit Genitrici, qua dignaretur incarnata Deitas generari: quæ ... tenuit puritatem in moribus, **quam perceperat Angeli benedictione visceribus: nec per Assumptionem de morte sensit inluviem,** quæ vitæ portavit Auctorem; fratres carissimi, fusis precibus Dominum imploremus: ut eius indulgentia illud defuncti liberentur a tartaro, quo beatæ Virginis **translatum corpus est de sepulchro** ..."[2]

In aliquo hymno ita canitur:

Aer gaudet, dum in eo
Obivat Maria Deo
Et secum assumitur,

editor adnotat hunc „Authenticum Librum cubiculi" a papa Hadriano anno 785 missum esse Carolo Magno.

[1] Neale and Forbes: The Ancient Liturgies of the Gallican Church a. l. p. 57.

[2] Ibid. p. 57 sq.

Gaudet terra, nam ab ea
Polo gracilis idea
Iucundanter redditur.

Animam Mariæ tantum
Non assumptam crede, **sanctum**
Corpus eam sequitur,
Corpus, in quo requievit,
Qui mundi scelus delevit,
Vermibus non redditur.

Quod assumpsit cœli sinus
Corpus simul, Augustinus
Vult doctor doctissimus
Vult Bernardus idem clare,
Licet inde dubitare
Videtur Ieronymus.

Credamus ergo benigne,
Quod illud corpus insigne
Non est datum vermibus;
Vermis corpus non gustavit
In quo Christus habitavit plene novem mensibus.[1]

Monebit forsitan quis nos non tantopere fidere posse istis documentis liturgicis, **cum in iisdem etiam S. Ioanni Evangelistæ privilegium incorruptionis corporalis et Assumptionis tribuatur,** puta:

Hoc templum iam terrigenum
Numen cudit cœlicolum,
A quo redemptum sæculum
Exstat, et omne tartarum.

Qui Matrem, ac Discipulum
Consimiles in exitu,
Fecisti ut prodigium,
Propter decus virgineum.

[1] Dreves. Analecta Hymnica. Leipzig 1886, Fues. t. II p. III: Carmina scholarium Campensia, pag. 121.

Quorum dum tumba corpora
Lege suscepit propria,
Elata hinc divinitus
Sunt, ubi cernit Filium.

Nec credi fas ullo modo
Potest iam tali Filio
Matris interire tabida
Sic dilabi sacra caro.

Quam etsi sopor adiit,
Et lacu terræ latuit,
Qualiter hinc adsumitur,
Postea sed cœlo traditur.

. . . . . .

Dies quo hæc subducitur
Mater cunctarum gentium,
Cœli quo petit intimum,

... Illic virgo sanctissima
Nostra defer precamina,
Quo tu tranasti gloriâ
Adsumptionis inclyta.[1]

Optime huic difficultati respondet Gordillo: „No pierde valor un testimonio en pro de la Assunción de Mariá, porque al lado de esta verdad custodiada por la Iglesia en el tesoro de sus tradiciones apostólicas, aparezcan otras creencias, que sin tener tanta autoridad eran comunmente recibidas como piadosas por los fieles de aquellos tiempos. Es como si rechazásemos los testimonios de algunos Santos Padres sobre la Divinidad de Jesucristo, porque junto con ella repiten las falsas ideas de milenarismo."[2] Profecto quis testimonium scriptoris ecclesiastici in favorem alicuius libri vere inspirati iam ea de ratione respueret, quod idem testis etiam patrocinatur libro apocrypho tamquam inspirato.

[1] Breviarium Gothicum. In Festo Assumptionis B. Mariæ. ML 86, 1186-1187.

[2] La Asunción de Maria en la Iglesia Española p. 44 Nota.

Etiam ipsa liturgia, unde dubium movetur firmum fundamentum nobis præbet, unde difficultati occurramus. Constanter enim tamquam ratio ontologica privilegii Virginis affertur partus virgineus. Unde pius poeta vindicando Virginis decus specialissimum fidelem præconem traditionis antiquæ, universalis, genuinæ se manifestat, dum in favorem privilegii Sancti discipuli prædilecti pio errore admisso nulla unquam solida ratio allata est nec afferri potuit.

Pia ista de discipuli prædilecti exitu opinio ex perversa verborum Domini[1] interpretatione orta etiam exinde ut spuriam se prodit eo, quod penitus disparuit.

Præclarissima sane habentur in officio aliquo in adsumptione sancte Marie.[2]

1°. Celebratur **Assumptio quoad corpus.** Nam **Benedictio** ita habet: „Et sicut illa (Virgo) meruit **per integritatem carnis Angelorum cuneis admitti;** sic ibidem quandoque conlocati numquam nos patiatur Dominus in complexu suo diuelli. Amen.

Quo **in anima simul et corpore** mundiores obtentu Virginis sue a delicto mereamini inueniri felices. Amen."[2]

2°. Assumptio simul cum conceptione virginea, partu virgineo, immunitate a concupiscentia proponitur. **Completuria:** „O inlibatum donum. O decus certe uirgineum. O sacre prolis opus dicatum et uas septiformi dono digne farcitum, sacra uirgo Maria; **omnisque pudicitie** premium, **cuius conceptio mysterium, cuius manifestatio priuilegium, cuiusque parturitio salutem gignit et gaudium,** quam nec uirile aliquando commercium, nec titillans umquam lasciuum, neque ullum contaminauit obstinans delictum: iam precamina uere credentium ibidem defer, **ubi adsumpta permanes sanctorum serta vel virginum:** illic que-

[1] Io. 21, 22.

[2] Officium in adsumptione sancte Marie (según el códice 35. 7 de Toledo); citatum apud Gordillo. La Asunción de Maria en la Iglesia Española in appendice.

[3] Ibid. p. 219.

sumus esto nobis refugium **quo de terrenis meruisti adtolli diuinitus ad poli fastigium.**"[1]

„Et sicut eam sublevatam tecumque conregnantem **credimus ac fatemur post somnium soporis** in celestia regna; ita quoque ea pro nobis suffragante ac patrocinante, sic superemus insurgentem aduersa ut tecum conletemur in gloriam sempiternam."[2]

„Matutinis precibus te Dominum exoramus piissimum ut sicut inlustris gloriosissima uirgo Maria hodie **per decus uirginitatis supernam adepta est sedem,** super meritum illius acceptabilis favoris apud te conletari mereamur in cœlestibus regnis."[3]

Antecedentibus testis gloriosæ Assumptionis quoad corpus annumeratur **Sacramentarium Gelasianum:** „Omnipotens sempiterne Deus, qui terrenis corporibus Verbi tui et veritatis Filii tui scilicet unigeniti per venerabilem ac gloriosam semperque Virginem Mariam ineffabile mysterium coniungere voluisti, petimus . . ."[4]

„Veneranda nobis domine huius est diei festivitas, in qua sancta dei genitrix mortem subiit temporalem, **nec tamen mortis nexibus deprimi potuit,** quæ filium tuum dominum deum nostrum Iesum Christum de se genuit incarnatum . . ."[5]

S. Ioannes Damascenus in conformitate Beatissimæ Virginis cum benedicto fructu ventris sui unicam solutionem invenit; quomodo mori potuerit, quamvis in partu virgo permanserit: „siquidem **incomprehensibilis huius fructus,** per quam cœlum locupletius factum est, sepulturam ut mortalis, ultro sustinuit, quomodo sepulturam sine virili consortio enixa Virgo detrectabit?

---

[1] Ibid. p. 213-214.

[2] Ibid. p. 215.

[3] Ibid. p. 219.

[4] Das fränkische Sacramentarium Gelasianum in alamannischer Überlieferung. Ed. Mohlberg, Münster 1918, Aschendorff. p. 169.

[5] Ibid. p. 168.

In tuo, Dei Genitrix transitu amplissimum tuum, Dei capax corpus Angelorum agmina sacratissimis alis cum tremore et gaudio contexere.

Cuncta in divina tua memoria obstupuere; tu enim, **inexperta viri Virgo, e terra tamquam arca vitæ, ad cœleste domicilium transiisti ...**

Divinam hanc et publicam Dei matris colentes festivitatem, o Divina sapientes, agite, manibus plaudamus, ex illa natum fidelibus celebrantes.

Ex te orta est vita virginitatis claves minime solvens. **Quomodo** igitur, cum immaculatum atque in primis vitale tabernaculum tuum fuerit, **mortis experientiæ facta es particeps?**[1]

Et alibi: „O præclarissimum excessum, qui tibi hoc præstat ut ad Deum migres! Nam si cum omnibus quoque Deo afflatis hominibus hoc Dei munere concessum sit (nec enim quin concessum sit, dubitamus); at infinitum Dei servorum ac matris discrimen est. Ecquo igitur nomine, quod in te peractum est mysterium appellabimus? An mortem? At quamvis sacratissima et felix anima tua, ut fert naturæ sors, a beatissimo et immaculato corpore tuo disiungatur, ac corpus legitimæ sepulturæ mandetur, **non tamen in morte perseverat, nec corruptione dissolvitur. Nam cuius in partu virginitas incolumis mansit eadem e vita migrante, corpus ita conservatum est, ut non dissolutum, sed in melius diviniusque tabernaculum,** mutatum sit, quod non iam morte interrumpatur, sed in infinita sæculorum sæcula perduret. Quemadmodum enim sol iste splendidissima perennique luce præditus, tametsi, cum a lunari tantisper corpore obtegitur modo quodam deficere, et caligine obrui, et fulgorem cum tenebris mutare videatur, non tamen luce sua destituitur, verum sui luminis fontem perpetuo scaturientem habet, quinimo ipse luminis fons est indeficiens, velut ab eius conditore Deo constitutum fuit: sic tu quoque fons veri luminis et inexhaustus ipsiusmet vitæ, thesaurus, uberrimaque benedictionis scaturigo, quæ cuncta nobis bona conciliasti et attulisti, **etsi ad tempus aliquod corporeo modo morte obtegeris;** attamen immensi luminis, immortalisque vitæ ... perennemque benedictionem fundis ... **Non est relictum in terra immaculatum omnisque labis expers corpus**

[1] Canon in Dormit. Dei Genitricis MG 96, 1363-1366.

tuum: sed in regias cœlorum sedes, regina tua, hera, domina, veraque Dei genitrix, translata es."[1]

„Hodie Virgo **immaculata, quæ nihil terrenarum affectionum admisit,** sed cœlestibus enutrita cogitationibus, **non in terram reversa est;** at cum vere cœlum esset animatum, in cœlestibus tabernaculis collocatur. Quis enim eam cœlum appellans a vero aberret ... **Nam qui cœlos fabricavit et continet, ... in ea semetipsum infantem sine semine fabricavit;** eamque adeo speciosum unicæ deitatis suæ omnia complectentis promptuarium effecit, totus citra passionum ullam in ipsa collectus, et totus extra manens seque ipsum locum incomprehensum habens. Hodie vitæ thesaurus, gratiæ abyssus ... vivifica morte obtegitur: ac sine metu, ad eam illa accedit, quæ ipsius profligatorem pepererat, modo tamen mortem, sacrosanctum et vitalem eius obitum appellare liceat. Namque veram vitam cunctis protulit, qui tandem morti subdita fuisset? Sed **cedit** legi ab eo latæ quem genuit: et, ut filia veteris Adam, paternam sententiam subit. **Nam et eius Filius qui vita ipsa est, eam non recusavit: ut autem Dei viventis mater ad ipsum merito transfertur** (ita ut in terram non reverteretur iuxta superius ex Damasceno citata). Nam cum Deus dicat: **Ne forte ille** qui primus est **conditus homo, mittat manum suam, et sumat de ligno vitæ, et comedat et vivat in æternum** (Gen. 3, 22); **quo pacto** fieri poterit, ut quæ ipsammet vitam sempiternam nec desinentem, nullisve initii ac finis terminis obnoxiam suscepit, **non in infinitum ævum victura sit?**"[2]

Maria mortis legi se submittat, inquantum ipse Benedictus Filius eam non recusavit, sed mors **dominio** ipsius non potitur.

„Salvesis, sola inter mulieres benedicta, quæ primæ parentis Evæ lapsum restaurasti. Salvesis, sola inter mulieres benedicta, quæ humillimum humi iacentium mulierum genus exaltasti. Salvesis, sola inter mulieres benedicta, splendida atque mirabilis, quæ sola Christum Deum simul et hominem sine viri opera concepisti, et sine dolore peperisti ... Salvesis, sola inter Virgines Virgo, quæ ante partum, et in partu, et post partum virgo permansisti."[3]

„Quanto nos potiori iure Dei Genitricis natalem operæ pretium est honorare, per quam universum mortalium genus redin-

[1] Hom. I. in Dorm. B. V. M. MG. 96, 715-719.
[2] Ibid. col. 726.
[3] Ibid. col. 655.

tegratum est; per quam primigeniæ matris Evæ luctus in gaudium est commutatus? Illa namque divinæ sententiæ decreto audivit: **In mœrore paries**: hæc, **Ave gratia plena.** Illa, **Ad virum erit conversio tua**: Hæc, **Dominus tecum.**"[1]

Ex his apparet, quam familiare fuerit Damasceno partum virgineum considerare tamquam liberationem a maledictio Hevæ et fundamentum Assumptionis corporalis.

Recordemur hoc loco eundem Damascenum superius quæsivisse quomodo B. Virgo mori potuerit non obstante immaculata conceptione; item superius vidimus eius responsionem. E mente Sancti Doctoris tum immunitas a labe originali, tum incorruptio in partu arcet **mortem cum insequente corruptione sepulchri.** Simplicem separationem animæ a corpore admittit propter conformitatem cum Christo. Perpensa eius doctrina quoad B. Virginem videmus incorruptibilitatem sepulchri **intrinsece** connecti cum immaculata Conceptione, item cum virginitate in partu. Insuper immunitas a labe originali et virginitas in partu, inter se cohærent ex nexu cum una eademque Maternitate Divina.

S. Doctor vindicat Mariæ omnimodam incorruptibilitatem quoad animam et quoad corpus **per modum unius,** sicut etiam æquo censu ista singula ut constitutiva incorruptibilitatis Matri Divinæ attribuit.

Timotheus presbyter incognitæ ætatis explicans istud:

„Ecce enim positus est hic in casum et in resurrectionem multorum in Israel ..." ita habet secundum textum Græcum: „Hinc accidit, ut nonnulli putarent matrem Domini gladio interfectam ... sed non ita se habet. Ensis enim a fabro excusus, corpus dividit, animam non dissecat: unde etiam Virgo **usque adhuc immortalis est,** quia ille, qui in ipsa habitat ipsa in loca refrigerii transtulit. Quid igitur Simeon dicere vult ad Virginem: ‚Et tuam ipsius animam pertransibit gladius ...' Explicat deinde hunc versiculum de dolore Virgini inflicto ex amissione Filii in templo Hierosolymitano."[2]

---

[1] In Nativit. B. V. Mariæ. Ibid. col. 662.

[2] Oratio in Simeonem MG 86, 246 sq.

Immortalitas de qua loquitur Timotheus nequit intelligi sola immortalitas animæ.

... Hæc enim naturaliter animæ competit nec inititur illi facto quod Filius Dei in ipsa habitavit. Neque agitur de salute supernaturali; nam immortalitas illa excludere debet mortem violentam, qua corrumperetur corpus. Intendit ergo Timotheus **immortalitatem secundum corpus** ita ut saltem Maria vinculis mortis retenta non fuerit. Ergo ille, qui in ipsa habitavit, ipsam etiam **secundum corpus in loca refrigerii transtulit.**

Hæc autem immortalitas, qua etiam, quoad corpus vivit in cœlo annectitur virginitati in conceptione et partu. Paulo ante in eodem contextu enim Timotheus ita habet: „Symeon Dominum, in ulnis suis tenens Iosepho quidem et Virgini benedixit: prophetiam autem de Domino commode adiecit ad Virginem dicens: Quid aspicis, Virgo, puerum hunc tuum et non tuum? Mansisti enim Virgo, sicut eras prius" ... et iterum: „Pro signo cui contradicebatur, erat Dominus circa partum Virginis, quandoquidem magnum erat signum, Virginem, quæ peperisset, Virginem manere." ...[1]

Ratio intrinseca huius incorruptibilitatis corporis Virginis Timotheo est incorruptio in partu et inculpabilitas.

Andreas Cretensis † 720: „Vitæ mater exportata mortua: ut assueta Dei colloquio muta esset et quæ velut in arcam Vitam in vulva suscepisset, mortua et sine spiritu iaceret in lecto. Ac licet essent res eiusmodi præter naturæ modum haud tamen minus admirationem habebant. Quippe illic sacramenta erant mentis oculo aspectabilia si quis mentalibus oculis divina videre potis erat. Nempe partus atque virginitas, ... Solis illic fulgores obscurabat corporea species. Illic immortalis mortalitas intuentium collustrabat facies ..."[2]

Et alibi: „Ac palam ostendit eo quod matrem suam semper virginem, e cuius utero ipse Deus existens, humanam induit formam, hodierna die ceu reginam humani generis a terrenis sedibus transfert ... ipsum itaque verbum et præsens per id tempus fuit ac lege mortis **legem violari nesciam** abolevit. Erat ergo plane

[1] Oratio in Simeonem MG 86, 246 sq.
[2] In Dormit. S. Mariæ I MG 97, 1070.

novum spectaculum quodque rationis vim excederet, ut nimirum mulier, quæ cœlorum naturam puritate supergressa esset, cœlestium adytorum sancta, **tabernaculum devehens, ac corpore penetraret;** ut Virgo, Dei partus miraculo Seraphicam vincens naturam, primæ illi naturæ, Deo, inquam universorum auctori, se propius adiungeret; ut mater quæ vitam peperisset, æqualem partui vitæ finem ... prætenderet. **Ut enim minime corruptus est parientis uterus, ita nec interiit defunctæ caro.** O mirandas res! Partus omnino corruptiones effugit; **nec sepulchrum illam a morte extremam corruptionem admisit.**[1]

Anastasius I. Antiochensis episcopus sæc. VI. imprimis extollit Mariam tamquam omnis corruptionis expertem: „Verbum enim ... ingressum est in uterum Virginalem et omnis corruptionis expertem: erat enim Virgo casta spiritu et corpore. Quam ob rem necessario ut decebat, ad tantum mysterii ministerium eam elegit, unitumque est sine confusione et mixtione totum toti carni, ... et per adventum Spiritus Sancti ex carne Virginis Mariæ conflatæ et constitutæ, nulla causa in ea antegressa ex iis quibus consueverunt corpora fieri, per virtutem Altissimi."[2]

Et alibi: „Salve sis ergo **Mater pariter ac Virgo,** vitæque cibus ac fons immortalitatis: ex te enim is prodiit, qui interemit corruptionem ac mortem destruxit."[3]

Ergo Anastasius Mariam non tantum dicit omnis corruptionis expertem, quia virginaliter concepit quemadmodum ex primo testimonio quis suspicari potuisset, sed saltem etiam excludit corruptionem in partu et cum dictio universalis sit, omnimodam corruptionem etiam corporis excludit in sepulchro.

Liturgia Mozarabica: „Nec immerito quidem ibidem debuit feliciter cum filio gloriari, cui divinitus intemerato virginitatis pudore meruit inviscerari. Ibi namque cum sacris virginibus iugiter iucundari, cui etiam in unito carnis federe incentivis nevis non potuit vitiari ... Cui per integritatem carnis ... attolli digne concessum est in cœlestibus regnis."[4]

Et alibi: „Ingenite Pater summe, qui tanta ac talia beneficii munera Virgini gloriose contulisti Marie: cuius verbo adstante

[1] In Dormit. S. Mariæ II MG 97, 1082-1083.
[2] De Divina Œconomia, i. e. incarnatione MG 89, 1338.
[3] In Annunt. S. Mariæ MG 89, 1378.
[4] Férotin: Le Liber Mozarabicus Sacramentorum a. l. col. 401.

Angelo dicata, cuius Spiritu illibate sistit fecunda, cuius virtute divinitus obumbrata ... Cuius voluntate virgo sistit ante partum, cuius posse virgo mansit post partum, cuius imperio ipsi canduit diu castitas, cuius miraculo immaculata virginitas. ...

Ac sicut illa hodie inter angelorum virginumque choros meruit adsumi sive dono inlibatæ carnis feliciter iucundari, sic nos facias stimulo perfecte exstirpato carnali beatiores ibidem misericorditer admitti, fruituri nempe cum Angelis ibidem perennius regno, quibus hodie fuit per eam letabunda Adsumptio ibidem ..."[1]

Post Nomina hodie: „Eterne Deus summe, ... clementiam exoramus ... ut qui gloriosam Virginem adsumpsisti per Unigenitum tuum ... ad superam et inennarabilem celi sedem. Quo nemo hominum **creditur** adsumptus nullusque preter illam attolli noscitur sexus; **dum non sola merito ibidem pervenire potuit, nisi quod sola Maria Virgo post parturitionem sola mansit,** solaque celi, ac terræ Dominum divinitus parturit et Verbum caro factum ineffabiliter utero evehit.[2]

„O ineffabilis castitas et immaculata virginitas: que novo et insolito sic enixa est more, que novo et ineffabili modo adsumi in supernam meruit sedem: visura cum Angelis ibidem perpetim Deum, cuius Verbi in terra sacrum effecta est templum: Cui nullo modo ibidem incomprehensibilis partus non denegatur in terris. ... Talius enim ibi divinitus ascendisse, qualius in novo Virginis partu hic similem non invenisse."[3]

---

[1] Ibid. col. 401.

[2] Ibid. col. 402.

[3] Ibid. col. 404. Quoad liturgiam Mozarabicam hæc adnotat clarissimus Broussolle: „Je partage sa conviction relativement à l'existence dans l'Eglise Wisigothique, de la croyance à l'Assomption, comme aussi de certains témoignages qui servaient à la manifester . . . J'inclinerais à penser qu'il y suffit de témoignages implicites, que ce sont même ceux là qui, pour l'histoire définitive du développement de la croyance à l'Assomption sont les plus précieux à recueillir, les plus démonstratifs, peut-être, les seuls en tout cas que, dans l'état actuel des recherches scientifiques, l'histoire de l'Espagne paraît bien susceptible de nous donner.

Dans l'Eglise d'Espagne, cependant, s'est fait le passage de l'implicite à l'explicite, de l'affirmation encore enveloppée, et presque timide, du privilège marial à son affirmation plénière, totale, absolue, hautaine, presque. Elle ne recule même pas, pour se traduire, devant l'audacieuse transcription d'un texte vénérable auquel on ajoute un mot, un seul mot, mais un petit mot qui suffisait à lui seul, pour faire évanouir tout ce qui pouvait rester d'obscurité par rapport à l'authenticité et l'antiquité de la croyance ... Voilà ... ce que continueront à nous apprendre ces vénérables

»Post Pridie« „Virgo Dei genitrix Maria, cuius hodie veram Adsumptionem celebramus in sede superna, quæsumus indigni et peccatores, ibi, ubi adsumpta es novi miraculi gloria beatiores quandoque mereamur attolli prece quoque tua dicta. Roget, quesumus ibidem, Domina, pro nobis **dignitas tui pudoris: que te de terris ineffabiliter sumpsit in celis post somnum quietis** et cursum consumatum vitæ temporalis."[1]

„Ad Orationem Dominicam": „Domine Iesu Christe ... indigni quæsumus divinitatis tue clementiam, quatenus pro obtentu illius beatissimæ Genitricis, quam **celibem** hodie fecisti in celestibus regnis, mundati ab universis contagiis, audeamus exclamare ..."[2]

Grandia et sublimia encomia divinæ Matris:

1. Nullus in terris incentivus nævus vitiavit Matrem Dei ipsiusque fœcundæ pudor intemeratus permansit.

2. Propterea **singulari** privilegio **creditur** illuc assumpta „quo nemo hominum **creditur** sumptus". Nequit ergo agi de **sola** gloria **quoad animam,** neque intendi mera opinio pia; qualis etiam fovetur quoad alios evectos ad gloriam cœlestem etiam quoad corpus.

3. Ratio huius singularis decoris reponitur in Maternitate divina partuque virginali, qui non conceditur nisi quia peperit ipsum Unigenitum Patris.

---

documents de l'Eglise mozarabe, hérités de l'Eglise Wisigothique, qui n'ont pas toujours été reproduits dans leur ingenuité d'origine parce que, s'ils l'avaient été de cette façon, — comme la critique serait désireuse, aujourd'hui de les trouver, — ils n'auraient plus satisfait ceux pour qui ils étaient reproduits, qui s'occupaient d'autre chose, en l'occurrence, que de science, et de critique." Saint Ildefonse de Tolède et les premiers témoignages en Espagne de la croyance à l'Assomption: L'Assomption de la sainte Vierge 6 (1923) 47.

Hoc iudicium cum illis, quæ superius ex doctissimo Férotin rettulimus, saltem in eo concordat, **quod fides Assumptionis Virginis quoad corpus longe antiquior est liturgia Mozarabica et documentis citatis.** Hoc certe maximi momenti est, etsi de pluribus v. gr. de origine huius fidei in Hispania controversiæ inter auctores vigeant.

[1] Ibid. col. 406.

[2] Ibid. col. 406; Maria **assumpta quoad animam et corpus in cœlum celebs** hic dicitur cum manifesta allusione ad verba Domini Mt 22, 30.

4. Allusione facta ad verba ap. Matthæum 22, 31: „In resurrectione ... neque nubent neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo" ... Maria glorificatur quod in Assumptione in cœlum „Christus Matrem suam in cœlestibus regnis **celibem** effecerit, i. e. iam nunc transtulerit in illum gloriosum statum qui vigebit post resurrectionem universalem.

5. Hæc liturgia Mozarabica iterum partum virginalem non tantum exhibet tamquam liberationem a maledictione Hevæ, sed etiam tamquam **participationem Victoriæ ipsius Christi de inimico infernali.** Redemptor enim virginali sigillo non soluto in lucem editus præsignabatur Satanæ tamquam fortior aliquando superventurus, qui universa arma eius ablaturus et spolia distributurus esset (Luc. 11, 22). Ita enim canitur in Missa in diem Sancte Marie: „Unigenitus Filius Dei in maternis visceribus pariendi viam nec invenit, nec reliquit. Sic conceptus atque editus signat Virginis uterum, non designat. In quo quantum ad remedium nostre salutis pertinet, ipsa natura victoria est. Nam adversarium non minus partus superat, quam conflictus quum in conceptione misterii didicit regnaturum."[1]

Liturgia Syriaca: „Hodie mirabili quidem modo transivit Filia David, plena gratiarum ad cœlestia habitacula, ubi desunt afflictiones. Venerunt ei obviam spiritus laudem canentes illi, quem ipsa parturierat in carne et celebrantes diem obdormitionis illius quæ fuit Mater Domini ipsorum. Quem, cum esset absconditus ipsa portavit in sinu suo purissimo. Propterea magnificatur et celebratur dies transitus ipsius per totum orbem terrarum."[2]

„Corpus tuum purissimum et sanctum, **o Virgo Purissima,** et Filia David, **in quo circumlatus est ille,** qui portat totum mundum, quique sua immensitate continet abyssos, ecce hodie videmus **illud corpus gustare mortem et trans-**

[1] Férotin: Le Liber Mozarabicus Sacramentorum a. l. col. 50 sq.

[2] Officia Sanctorum iuxta ritum Ecclesiæ Maronitarum. Romæ 1666, Typ. S. Congr. de Prop. Fide. Pars Æstiva. Officium pro exitu Matris Dei Dominæ Mariæ. Ex officio Matutino.

ferri ex hoc mundo et ascendere ad mundum novum (Cœlum apud Syros) inter multitudines Angelorum et Sanctorum. Nos autem simul cum Seraphim et exercitu Angelorum, qui gaudent die commemorationis Tuæ, offerimus Tibi hymnos laudis."[1]

Aliunde constat, quam viva fide auctores liturgiæ Syriacæ S. Ephræm, Jacobus Sarugensis aliique prosecuti sint virginitatem in partu. Speciminis causa accipiantur hæc verba Iacobi Sarugensis: „Filia quæ texuit stolam gloriæ quam parenti suo inter arbores ignominiose nudato in vestem offerret. **Virgo prodigioso modo sine coniugio mater effecta; mater permanens integerrima virgo.** Palatium magnificum, ædificatum a rege, in quod intravit, in quo habitavit, **quin coram eo quando exivit, portæ aperirentur."**[2]

Liturgia Ambrosiana: Per Christum Dominum nostrum: Et in huius diei veneranda festivitate gaudere, in quo Sancta Dei Genitrix mortem subiit temporalem: **nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quæ Filium Tuum Dominum nostrum de se genuit incarnatum....**[3]

Theodorus Studita strenuus propugnator doctrinæ et iurium Ecclesiæ contra Iconoclastas: „Quæ in pace ac iustitia obdormivisti inquam potius quam obiisti: translata es, neque tamen humanum genus protegere desinis ... Immutasti igitur naturam ineffabili partu tuo. Quandonam enim audivit quisquam virginem sine semine concipientem? O rem miram! quæ mater es pariens, eam vides virginem incorruptam, quia scilicet quod pariebatur, Deus erat. Hoc unum itaque etiam **in vitali dormitione a ceteris differens, merito sola** habes **utriusque simul** (corporis et animæ) **incorruptelam."**[4]

---

[1] Ibidem.

[2] Carmen I. de B. M. Virgine apud Abbeloos. De vita et scriptis Sancti Iacobi ... v. 52.

[3] Ex Præfatione Vig. Assumptionis.

[4] Oratio VI in Deiparæ Dormitionem ap. Mai, Nova Bibl. Patrum t. V p. III pag. 56.

In antecedentibus Theodorus canit libertatem Virginis a maledictione victoriamque de morte. Hic nobis exhibet partum virgineum tamquam pignus huius libertatis a maledictione et rationem immunitatis a permanentia in morte.

Theognostus coævus Photii: „Gloriatur oratio elegans festivam habere explicationem, quando legem naturæ una cum mirabiliter gestis exponere contendit. Tunc enim iucundissimam reddit causæ auditionem, veritatis argumentum quam certissimum demonstrans. Decebat enim, sane decebat eam, quæ **a principio per precationem sanctam in utero matris sanctæ sancte coagmentata fuerat,** et post nativitatem in Sanctis Sanctorum enutrita, per angelum **sanctam conceptionem susceperat et graviditatem sanctam habuerat, similiter et dormitionem sanctam obtinere.** Cuius enim principium sanctum, cuius et intermedia sancta et finis sit sanctus et tota consuetudo sancta."[1]

„Et quæ paucos dies duravit dissolutio (animæ et corporis) fit iterum iugis unio."[2]

„Introducit enim Filius Matrem in paradisum, in quo est cibus deliciarum immortalium. Quomodo autem introducit? Non cœlestes ædes illa deserit, sed tanto illis excelsior manet, quanto superiorem angelis Filium genuit. Quam contemplans latro obstupescit. Quomodo autem contemplatur? Sociam in contemplatione simul et in immortalitate. Hoc contemplans stupet, et reformidat præsentiam, et timet potestatem.... Puto enim illum audivisse nomen, **nondum vero vidisse eius faciem seu tabernaculum** (corpus terrestre). Et quamquam cum Filio eius pati dignatus est, tamen mentis cogitationem ad vehementiam dolorum convertens, nondum lineamenta eius formæ in se perceperat. O latronis nimia felicitas, quia et Filii compassionem, **et Matris contubernium lucratus es.**"[3]

Manuel II. Palæologus imperator: „Non est novum, o Dei Mater, neque dissentaneum, sed potius valde decens

[1] Theognosti monachi encomium in Dormitionem sanctissimæ Deiparæ. Patrologia Orientalis. Graffin-Nau t. XII. Iugie: Homélies Mariales Byzantines. Paris 1922, Firmin-Didot. p. 457; in „Introduction" cl^mus auctor iudicat: „Parmi les personnages qui jouèrent un rôle important dans l'affaire de Photius, se trouve le moine byzantin Théognoste, ami fidèle du patriarche Ignace et défenseur dévoué de sa cause." Ibid. p. 455.

[2] Ibid. p. 460.

[3] Ibid. p. 462.

et conveniens migrationem ex hac vita quam et futuram natura horret, et supervenientem ferre præ dolore non potest, tibi contra fuisse materiam gaudii cuiusdam ac voluptatis. Oportebat enim illam tuis moribus ac vitæ et omnino stupendo partui tuo consonam esse, ut quæcumque ad te pertinerent, miraculo plena essent. Hac de causa, ut apertius loquar, separatio animæ a corpore, quam vocare mortem nostri moris est, et ad cuius vel nudum nomen turbamur, merito tibi celebritas plena hilaritatis et oblectamenti exstitit occasio terrenis gaudiis sublimior ...

Igitur, illud maxime novum, cum gaudio scilicet mori, ex aliis omnibus nulli convenire potest; tibi vero **uni** hoc obvenisse purissimæ, cælis excelsiori **Dei genitrici fatentur omnes qui recte sapiunt.** Quod recte affirmatum esse tempore opportuno demonstrabit oratio, occasione accepta ex die præsenti, **quo tu in cœlum e terra migrasti, quod tibi viventi (ergo cum anima et corpore) etiam conveniens plane fuisset locus,** æque ac vitam cum Filio ac Rege simul degere simulque regnare."[1]

Gregorius Palamas Archiepiscopus Thessalonicensis († 1360) eandem doctrinam proponit. „Insuper ... connubii dispensatio circa istam Virginem plena mysterio, et insolita superque omne verbum archangeli cœlitus advolantis salutatio, Dei consilia et sermones quibus eversa fuit Evæ Adamque damnatio et sanata sequens maledictio, quæ in benedictionem conversa fuit. Concupivit enim mysticam speciem huius virginis rex universi, ... et eam adumbravit, vel potius sibi adiunxit substantialis virtus Altissimi: nam neque per caliginem et ignem, sicut divo Moysi, .. sed sine medio, sine velo **virtus Altissimi purissimæ Virginis uterum adumbravit,** ... Sed cum quod adumbrat formam suam, propriamque figuram exprimit, non adunatio tantum, sed et formatio in utero facta est, **et quod ex ambobus formatum est, scilicet ex virtute Altissimi, et sanctissimo atque virginali illo ventre, Verbum erat Dei incarnatum. Ita ineffabiliter habitavit in ea,** ... Sed quænam lingua rursum enarrabit **ea quæ post inenarrabilem partum facta sunt?** Nam cum cooperata fuisset et compassa exinanitioni Verbi Dei in ipsa adimpletæ, iure gloriæ et exalta-

[1] Ibid. p. 544.

tionis facta est particeps ... **Ideo mors illius vitam protulit, et eam in cœlestem et immortalem vitam transtulit** ... Hodie vero cœlum habens conveniens habitaculum ut proprium sibi palatium, quo a terra hac die ascendit, ... **Vestitum autem deauratum cogita gloriosum eius corpus** omnimodis distinctum virtutibus; **sola enim ipsa hodie cum suo corpore divina claritate fulgido cœlestem obtinet regionem**; nam non potuit terra et sepulchrum et mors in finem possidere **illud corpus in quo** Deus sedem cœlo et cœlo cœlorum gratiorum sibi elegerat; quippe si anima quæ gratiam Dei inhabitantem habuit, in cœlum ascendit harum rerum fragili vinculo soluta, sicut per multos factum est manifestum, **et credimus, quomodo corpus,** quod non solum in semetipso ipsum accepit æternum et unigenitum Dei Filium, ... **sed etiam eum parturivit,** (et quidem ut superius a Palama audivimus ‚virginaliter') **a terris in cœlum non fuisset assumptum?"**[1]

Cum Archiepiscopus Thessalonicensis evidenter assumptionem Virginis **quoad corpus** eodem censu credendam habeat ac glorificationem **animæ** eiusdem sanctissimæ Matris Dei patet e mente ipsius agi de re formaliter revelata. Hoc etiam inde elucet, quod Assumptionem quoad corpus passim eodem modo proponit sicut alia, quæ procul dubio tamquam fide divina credenda recenset: „Ubi (in Sanctis Sanctorum) ineffabili cibo nutrita fuit, angelis ministrantibus, **quem Adam non manducavit; aliter enim non excidisset a vita, sicut illa Immaculata, etsi eius filia ostenderetur; paululum naturæ cedens, quemadmodum eius Filius, a terra hodie in cœlum transcendit."**[2]

In traditione igitur hæc duo asserta clare proposita videmus: 1° propter immunitatem a labe originali Mariam præservari a corruptione sepulchri 2° ipsissimam hanc resolutionem ab ipsa arceri propter virginitatem in partu.

[1] In sanctissimam Dormitionem purissimæ Dominæ nostræ Deiparæ semperque, virginis Mariæ. MG. 251, 462-466.

[2] Ibidem col. 462; ita mentem huius theologi schismatici, de Virgine comprehendit Iugie: „Elle (la Vierge) a échappé à la malediction et à la servitude d'Evè. Elle a été vraiment souveraine, comme son nom l'indique. Libre elle-même de l'esclavage, elle a été la source et le principe de la delivrance du genre humain." Revue Augustinienne 17 (1910, II) 156.

At hæc duo nequaquam mere iuxtaponi sed artissime connecti perspiciemus cum diutius hisce intendimus:

Nexus inter immunitatem a labe originali et præservationem a resolutione sepulchri **aperte innitur revelationi, cum Patres hanc connexionem ex interpretatione Geneseos 3, 19 depromant** distinguentes inter simplicem mortem et permanentiam in sertitute mortis seu corruptione. Sed etiam coniunctio inter inviolatum pudorem ed immunitatem a corruptione sepulchri censenda est e mente Patrum revelationi inniti. Nam:

α) Hunc alterum nexum eodem prorsus modo constanter et invicta certitudine ac priorem proponunt; immo aliquoties, puta in testimonio e Missali Gothico-Gallicano Immaculata Conceptio, partus virginalis, exemptio a corruptione sepulchri et assumptio corporis ut intime inter sese nexa simul et eodem modo fidelibus proponuntur. Quare saltem præsumptio etiam libertati a corruptione sepulchri ut revelatæ favet.

β) Sed maximopere attendendum est Patres et liturgias partum virginalem concipere tamquam ablationem istius maledictionis pronuntiatæ contra protomatrem »in dolore paries filios«, proinde tamquam indicium restitutionis Mariæ in statum ante maledictionem et lapsum. Ergo sicut profecto partus virginalis ipsis est res formaliter revelata quæ semper erat in explicita fide Ecclesiæ, ita eliminatio maledictionis. **Qui autem ablationem maledictionis tamquam rem revelatam habet etiam libertatem a corruptione et servitute mortis revelatas esse fatebitur, quoniam servitus mortis et resolutio in sepulchro primarium in maledictione ista censetur.** — Insuper Patres ista verba »Ave Maria gratia plena« — et »benedicta tu in mulieribus« ita exponunt, ut formalem ablationem istius maledictionis eiusque conversionem in maximam benedictionem significent. **Ergo ista ablatio maledictionis e mente Patrum ipsissimis verbis Evangelii** exprimitur. Neve in hac interpretatione sensum accomodatitium tantum proponi putaveris; nam propter unanimitatem et

constantiam huius expositionis verba Angeli sensu litterali ita intellecta esse constat.

Igitur evectio Beatissimæ Virginis ad gloriam cœlestem quoad corpus revera in Verbo Dei revelato formaliter concluditur, quamvis implicite et proinde eodem modo communicata fuit divinitus ac Conceptio Immaculata. Quare nullum dubium remanere videtur gloriam Matris Dei quoad corpus tamquam dogma fidei ab Ecclesia proponi posse.[1]

γ) Nihil igitur mirum quod Armeni in synodo 1342 habita nostram doctrinam ita proclamant, ut clare appareat ipsam **ut revelatam** habitam esse. Recensito enim errore obiecto: „Quod Armeni dicunt..., quod ex hoc quod Christus ascendit in cœlum in eo post unionem desiit esse natura humana... ab isto errore se muniunt hac responsione: Armeni credunt et tenent quod Christus cum eodem corpore quod accepit a Virgine ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris, et cum eodem corpore venturus est iudicare vivos et mortuos in confusionem et opprobrium falsitatis illorum, quam superius dicunt: ‚Si in Christo fuisset natura humana post unionem, non ascendisset in cœlum.' Sciendum est, quod Ecclesia Armenorum **credit et tenet, quod sancta Dei Genitrix virtute Christi assumpta fuit in cœlum cum corpore.** Igitur nutus Christi , qui alios assumpsit cum corpore ad cœlum, se ipsum non poterat mutare? Item, sancti post

[1] Sæpissime illi qui desiderium manifestant, ut coronæ Dei Genitricis hoc novum cimelium inseratur, gravissime carpuntur ab aliis, qui huic doctrinæ tamquam revelatæ minus favent, quod tale quid a S. Sede petunt, maximopere, quod proclamatio talis dogmatis quadam instantia efflagitatur. Neque hi accusatores verentur dicere hoc modo reverentiam erga S. Sedem parum commendari. At ut ab aliis abstineamus Nonne ante definitionem Immaculatæ Conceptionis similes petitiones S. Sedi oblatæ fuerunt et quidem instantissimæ. Quid autem de hisce piis instantiis iudicat Pius IX. SS. Memoriæ in Bulla „Ineffabilis": „Ab antiquis temporibus sacrorum Antistites, ecclesiastici viri, regulares ordines ac vel ipsi imperatores et reges ab hac apostolica Sede enixe efflagitarunt, ut Immaculata Sanctissimæ Dei Genitricis Conceptio veluti Catholicæ fidei dogma definiretur. Quæ postulationes hac nostra quoque ætate iteratæ fuerunt... **Nos itaque singulari animi nostri gaudio hæc omnia probe noscentes, ac serio considerantes. ...**"

generalem resurrectionem cum corporibus ascensuri sunt in cœlum, ut in VII articulo manifestavimus secundum fidem ecclesiæ Armenorum. . . ."[1]

Ecclesia ergo Armenorum **credit et tenet Assumptionem Virginis quoad corpus** et sicut ubique ista dictione exprimit alias veritates se habere **ut revelatas** ita profecto idem iudicandum remanet quoad rem nostram. Insuper adducit Assumptionem Virginis virtute Christi peractam ut demonstret hanc aliam veritatem profecto **ut revelatam** profitendam i. e. „Christum se ipsum potuisse mutare" et post unionem in ipso non desiisse naturam humanam. Iam antea Alexander III, Summus Pontifex ad Soldanum Iconii hæc scripserat: „Magna igitur et omni laude dignissima fuit mater et virgo Maria beatissima . . . quæ inter omnes, quas mundus habuit, mulieres nec primam, nec similem meruit, nec sequentem habere. **Concepit nempe sine pudore, peperit sine dolore, et hinc migravit sine corruptione,** iuxta verbum angeli immo Dei per angelum, ut plena, non semiplena gratia esse probaretur: et mandatum fideliter adimpleret, videlicet patrem et matrem honore prævenire: et ne caro Christi virginea, quæ de carne matris virginis assumpta fuerat, a tota discreparet. A prædictis igitur Christianæ **fidei capitibus** venerabile surgit in celsa culmina fundamentum. Hæc est catholicæ religionis scala, per quam homini datum ascendere ad æternæ patriam claritatis."[2]

Summus pontifex instruens Soldanum Christi saluberrimam legem amplecti desiderantem de fidei capitibus inculcat Assumptionem Virginis quoad corpus, ita ut **propter virginalem partum intacta permanserit a resolutione sepulchri.**

δ) Patres a Maria omnem corruptionem tam quoad animam quam quoad corpus arcebant — et hanc incorruptibilitatem **omnimodam** instar **unius gloriosissimi decoris propugnabant.** Quoad aliqua, puta perpetuam vir-

[1] Labbæus t. 25, 1218.
[2] Labbæus t. 21, 898.

ginitatem notissimum est Patres hanc incorruptibilitatem revelatam divinitus et dogma fidei esse censuisse. Si ergo cetera in ista incorruptione inclusa in specie præservationem a corruptione sepulchri et permanentia in morte constanter eodem modo proponunt, nemo non videt Patres hoc privilegium pariter ut veritatem divinitus revelatam respexisse. Quando ergo dicunt virginalem partum postulatum fuisse a Maternitate divina, nemini talem dictionem ita interpretari licet, ac si **mera aliqua convenientia** ducti statuissent propter Maternitatem divinam — etiam immunitatem a tactu pudoris. Pariter cum propter hanc præcise illibatam virginitatem a Matre Dei eliminant corruptionem sepulchri nemo asserat ex perpetua virginitate mera convenientia deduci præservationem a resolutione sepulchri. **Constantia enim et absoluta certitudo qua in universa traditione propter virginalem partum statuitur immunitas a corruptione sepulchri nequaquam explicatur sola convenientia, sed inniti debet revelationi.** Nonnisi **revelatione iam fulciti** Patres rationibus etiam convenientiæ firmissimam certitudinem expoliebant.[1]

Traditio ergo tamquam formaliter implicite revelata admisit illa, quæ secundum librum „De transitu Virginis Mariæ" aliquando Melitoni Sardensi tributum Dominus ipse explicite dixisset: „Surge amica mea et proxima mea; quæ non sensisti corruptionem per viri contactum, non patieris resolutionem corporis in sepulchro."[2]

[1] Merito Scheeben: „Die Zusammenstellung der Incorruptio nach dem Tode mit der Incorruptio der Jungfräulichkeit wurde schon von Anfang an, seit der Frage Aufmerksamkeit geschenkt wurde, von den Vätern angewandt, so von Andr. Cret. de Dorm. B. V. or. 2: „Ut minime corruptus est parturientis uterus, ita nec periit defuncta caro. O miranda res! Partus omnem corruptionem effugit, nec sepulchrum illam a morte extremam corruptionem admisit; und in dem uralten Missale Gothicum . . . quæ nec de corruptione excepit contagium, nec resolutionem pertulit in sepulchro . . ."

Diese „Analogie" ist beileibe nicht eine bloße Analogie; es ist nach dem Gesagten eine theologische Demonstration resp. eine Entwicklung der dogmatischen Idee der Incorruptio Virginis, das heißt der Virgo matrimonio divino sacra . . . . und welche das eine Moment so gut umfaßt als das andere." Handb. d. kath. Dogm. t. III; n. 1749.

[2] MG. t. 5, 1238.

Monebit quis argumentis allatis demonstrari quidem corpus Beatissimæ Virginis animæ gloriosæ unitum esse, nondum tamen apparere ipsum evectum esse ad gloriam cœlestem ita, **ut gaudeat dotibus corporis gloriosi.**

Concedimus non unumquodque argumentum superius statutum explicite probare **statum gloriosum corporis** Matris Dei; sed diffitendum profecto non est Patres passim ita loqui, ut certe Virgini etiam statum gloriosum corporis vindicent.

Textus S. Scripturæ, qui respiciunt gloriam corporis de ceteris iustis præter Christum ita quidem loquuntur ut resurrectionem universalem supponant peractam. Nihilominus non abs re erit notare S. Scripturam passim enuntiare gloriam corporis ita, ut **ubicumque quis iustus assecutus fuerit resurrectionem in Christo Iesu etiam sequantur dotes gloriosæ,** puta cum Dominus asserit: „Illi vero, **qui digni habebuntur sæculo illo,** et resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores: neque enim ultra mori poterunt: æquales enim Angelis sunt, et filii sunt Dei."[1] Hoc loco universalissime enuntiatur, **ubicumque** animæ iusti in altera vita uniatur corpus ipsi etiam dotes gloriæ tributum iri.

Insuper status gloriosus corporis Virginis formaliter implicite continetur in ista identitate victoriæ Mariæ cum victoria Christi de morte. Quoad Christum expressis verbis gloriam corporis extollunt Sacræ Litteræ iuxta illud: »Humiliavit semetipsum factus obœdiens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur ... et omnis lingua confiteatur quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.«[2] Gloria enim, quam Christus sibi meritis suis acquisivit et quibus triumphavit de morte **corpus** respicere patet et post resurrectionem in corpore Christi dotes gloriosæ manifestantur.[3] Maximopere hoc

[1] Luc. 20, 36; cf. Knabenbauer in hunc locum.
[2] Phil. 2, 8 sqq.
[3] Luc. c. 24 per totum.

patet 1 Cor. 15, ubi enumeratis dotibus corporis gloriosi 42—44 Apostolus docet nobis istas collatum iri, ut Christo quoad gloriam corporis conformemur et præcise „sicut nos omnes, utpote a terreno Adamo generatione naturali exorti, ei assimilati corpus animale, i. e. mortale et corruptibile, accepimus, ita omnes quoque, qui a cœlesti Adamo regenerantur, ei assimilati corpus spiritale, i. e. immortale et glorificatum accipient".[1] Christi ergo sanctissimum corpus exemplar est glorificationis. **Talis autem gloria Christi in victoria de morte concluditur.** Hisce enim expositis quasi insultans mortem exclamat Apostolus:

„Absorpta est mors in victoria. Ubi est mors victoria tua? ubi est mors stimulus tuus?"

Quare nequit obici Virginem iam vincere mortem ipsa resurrectione neque licere quid ulterius inferre ex identitate victoriæ Mariæ cum illa reportata a Filio. Victoria enim Christi de morte glorificationem corporis tamquam **essentiale quid** involvit. Pariter in loco S. Lucæ superius citato dotes gloriosæ instar cuiusdam additamenti statui illi essentialis exhibentur.

---

[1] Cornely in 1. ad Cor. p. 502.

C. Epilogus:

Coronidis instar subnectimus Assumptionem Virginis quoad corpus ab omnibus Christicolis summa festivitate celebrari non tantum in Occidente, immo quasi gaudii principatum esse in Oriente fateberis.

Solemni ieiunio muniti ad diem festum agendum accedunt. Ita de ieiunio Græcorum **Anastasius Cæsareæ Palæstinæ episcopus** disserit: „Ieiunium quod præcedit sanctissimæ Deiparæ Dormitionem, a sanctis Patribus divinisque patriarchis traditum est et honorifice illud servant cunctæ urbes ac regiones orthodoxorum, præsertim magna felixque civitas Constantinopolis, Magnaque Ecclesia."[1]

Optime de cultu Assumptionis refert Cozza — Luzi: „Animadvertendum... est festivitatem, quam universa celebrat Ecclesia die XV. Augusti, maximo et splendidissimo cultu iuxta ritus sui leges Græcam Ecclesiam peragere. Obiectum autem huius festivitatis, ut et in quibusdam libris liturgicis legimus, triplex est. Etenim non modo Dormitio vel Translatio Deiparæ nuncupatur, sed et Resurrectio. *Κοίμησις τῆς Θεοτόκου καὶ μετάστασις καὶ ἀνάστασις.*"[2]

„Ut vero huius celebritatis præcipuus cultus apud Græcos appareat, minime prætereundem est sanctissimum apud illos morem vigere ieiunandi per plures dies. Quandoquidem apud eos ecclesiastica lege sancitum est, ut a die prima Augusti usque

---

[1] De ieiunio SS. Deiparæ MG 127, 526.

[2] Cozza-Luzi O. S. Bas. De corporea Assumptione B. Mariæ Deiparæ testimonia liturgica Græcorum p. 466-467. Invenitur appendicis instar in Vaccari De Corporea Deiparæ Assumptione in cœlum an dogmatico decreto definiri possit Disquisitio Historico-critico-theologica. Roma 1869, Salviucci.

ad XV. omnes ieiunium servent in honorem Virginis in cœlum receptæ. Quod quidem palam ostendit cur tantopere Græci exaltent hanc Mariæ solemnitatem; ieiunium enim istud in hunc finem institutum credendum est, quia sicut inter mysteria Christi maxime illud quod aliorum supremum videtur, nempe Resurrectio, a Christianis celebratur, et ad eam recolendam per quadragesimale ieiunium sese præparant fideles, ea de fere ratione inter magnalia Deiparæ festiva solemnitas et per antecedens plurium dierum ieiunium recolitur in qua nonmodo eius obdormitio seu vitæ mortalis finis et immortalis initium, sed eiusdem corporeæ resurrectionis memoria celebratur. Ut iam superius vidimus Resurrectio et Assumptio Deiparæ in ipsis liturgicis hymnis Resurrectioni et Ascensioni Christi comparatur."[1]

Quod Protoevangelium manifestat in cultu Assumptæ more Ecclesiæ Græcæ vivide repræsentatur, Mariam nempe intimo nexu Christo in toto opere suo coniunctam et victoriam Virginis eandem exstare ac Benedicti Filii. Sicut Ascensio Christi victoriam Christi complet eiusque glorificationis culmen merito reputatur, simulque gloriosæ operationis ad dexteram Patris initium censetur iuxta illud: „Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus";[2] ita pariter Assumptio Virginis luctam contra diabolum gloriose coronat mediationemque universalem initiat, ob quam omnes generationes ad Matrem cœlestem recurrent et omnes servuli Mariæ laudes solvent, quos piissima Mater contra venenosas serpentis astutias perpetuo succursu protegat.

Ex Synopsi anni Ecclesiastici Armenorum adnotetur: „ultima Dominica post Vartavar, h. e., Dominicam ante Assumptionem Paregentan Deiparæ seu Assumptionis: Ieiuniam Deiparæ 1 cl. per hebdomadam."[3]

Insuper in Ecclesia Armenorum Assumptio est unum ex quinque primariis festis Daghavar. Ex ritu festorum Daghavar proprio tria ad eius celebritatem pertinent:

---

[1] Cozza-Luzi a. l. p. 468.

[2] Io. 7, 39.

[3] Nilles, Kalendarium Manuale utriusque Ecclesiæ t. II p. 563.

1° præcedens hebdomas ieiunii primæ classis; 2° Sequens Octava; 3° Triduum festivum.[1]

Etiam ordo festorum Ecclesiæ Chaldæorum 15. die Augusti notat festum Assumptionis Virginis Mariæ in Cœlum.[2]

Neque hæc devota celebratio festi Assumptionis restringitur ad illos Orientales, qui sedi Romanæ uniti permanserunt fidemque suam summo heroismo in mediis persecutionibus procellisque illibatam servaverunt, sed etiam invenitur apud illos, qui proh dolor vestem inconsutilem disciderunt.

Quanto fervore Copti et Abbessyni Virginem in cœlum Assumptam colant notissimum est. Apud Nestorianos cultum Assumptionis Virginis exstare secundum Assemani notat Nilles.[3]

Si paulisper inquiris, quo censu habeant Ecclesiæ separatæ Orientis Assumptionem Virginis quoad corpus facile tibi persuadebis ipsas considerare hanc doctrinam ut divinitus revelatam.

Hæc autem fides exstans apud schismaticos et hæreticos Orientis et quæ exstitit sæculis elapsis etiam in illis regionibus ubi nunc temporis, v. gr. a theologis Russis impetitur maximopere suggerit agi revera de re formaliter revelata. Nonne hic idem valet, ac in probando septenario numero sacramentorum, ubi plurimi theologi hanc doctrinam ut formaliter revelatam inde propugnant, quod sectæ illæ, quæ iam primis sæculis ab Ecclesia Catholica se separarunt in hac doctrina cum hac Ecclesia Catholica

---

[1] Ibid. t. I p. 238: Quoad festum Assumptionis observatione dignissima, quæ notat doctissimus Avedikian: „Sembra (da alcuni indizi che già nel quinto secolo si celebrasse fra gli Armeni la festa dell'Assunzione, e si conferma quanto é stato detto al principio dell'innario: che i primi versetti dell'inno dell'Assunzione sono stati composti da Mosé il Chorenese (fine secolo V) — benchè abbiano una certa rassomiglianza con lo stile di Giovanni Mandagouni (anche questi della fine del secolo V) Avedikian, Spiegazione degli Inni. Venezia 1814, S. Lazzaro p. 487.

[2] Ibid. t. II p. 684.

[3] Ibid. p. 688 ubi Nilles ita habet: „Alia festa ab eodem Assemani enotata ex Pinquit seu tomo sanctorum hæc sunt . . . 15. Augusti Assumptionis B. M. V. . . ."

Romana consentiunt? Hoc eo vel magis in nostra doctrina admittere oportet, quia ipsi auctores separationis infelicissimæ, uti Nestorius, Photius Assumptionem quoad corpus vel admiserunt vel saltem principiis patrocinati sunt, quibus formaliter implicite continetur. Insuper dum in re sacramentaria quis forsitan consensum istum inde explicare conatur, quod Oriens septenarium numerum ab Ecclesia Latina transsumpserit, tale quid in doctrina Mariologica ne in mentem quidem cuiquam venire potest, quoniam nimis patet Orientem hac in re Occidentem præcessisse.

Benignissime suscipere dignetur divina Mater hanc devotionem, quam tanta unanimitate Oriens profundit. Illis, qui sedi Romanæ fideliter adhærent, a Divino Filio imploret constantiam in persecutionibus et tandem pacem iuxta illud, quod sua ætate a Maria tam desideranter efflagitabat Anastasius superius laudatus, ut qui Virginis Assumptionem colunt, a sanctissima Deipara, totius mundi protectrice magis magisque defendantur. Filiis autem prodigis efflagitet oculos illuminatos, ut erroribus derelictis ad Ecclesiam Catholicam redeant, ut fiat unum ovile Christi protectrice et regina Virgine in cœlum quoad corpus et animam assumpta.[1]

[1] Recentiores theologi schismatici Russi proh dolor Assumptionem Dei Genitricis quoad corpus reiciunt tamquam legendariæ narrationi innixam. Qua in re manifeste vestigia antenatorum suorum non premunt. Libri enim Liturgici antiquissimi eorum testes sunt istum cultum antenatis ipsorum exoptatissimum fuisse et maxime propagatum. Iteratis vicibus superius citatis fontibus Catholicis etiam ad doctrinam in Oriente separato vigentem appellavimus.

Quodsi theologi schismatici urgent neque in S. Scriptura neque in Traditione quidquam inveniri de Assumptione respondere oportet et inculcare ipsam formaliter implicite in verbo Dei contineri. Replicabunt quidem schismatici tale quid non sufficere. Sed ita aiendo iam virus illud manifestant, quod proh dolor ipsos adduxit ad denegandum non solum Assumptionem corporalem Virginis, sed plures alias doctrinas, inter quas etiam dogmata proclamata, puta Conceptionem Immaculatam Virginis. Impugnant enim isti theologi evolutionem dogmatis, qualis defenditur ab Ecclesia Catholica. „Die ‚Regierende Synode' stellte bereits vor langer Zeit eine Reihe von Lehrpunkten zusammen, in welchen ihre eigene Bekenntnisgemeinschaft von der katholischen Kirche abweiche . . . Unter den in jenem Verzeichnis aufgezählten zu bekämpfenden katholischen Lehren finden wir nun auch die von der subjektiven Dogmenentwicklung.

Dementsprechend verwerfen auch die von der ‚Regierenden Synode' gutgeheißenen dogmatischen Lehrbücher einen subjektiven Fortschritt in

Quanto autem fervore ab Occidente definitio huius doctrinæ desideretur tot petitiones a celsissimis præsulibus Ecclesiæ etiam ex integris regnis S. Sedi propositæ luculenter demonstrant.[1]

---

der Dogmenerkenntnis besonders entschieden . . . Der obigen Auffassung der russischen Synode und ihrer Theologen gemäß wäre also in den Offenbarungsquellen alles so klar greifbar für die christliche Erkenntnis enthalten, daß ein fortschreitendes, erläuterndes, klärendes Eindringen in die übernatürlichen Lehren für uns ausgeschlossen bliebe." F. Wiercinski in „Stimmen der Zeit" 114 (1928) 336.

In alio articulo eiusdem periodici hic clarissimus auctor enumerat propositiones istas a sic dicta Synodo Russiaca proscriptas: „Der wissenschaftlichen Genauigkeit halber müssen wir vor allem jene Unterscheidungslehren hervorheben, mit welchen die St. Petersburger regierende Synode der katholischen Kirche ausdrücklich den Vorwurf des Irrtums macht . . .

1. Bezüglich der christlichen Glaubensquellen wird den Katholiken vorgeworfen: a) . . . b) Die Einschätzung der mündlichen Überlieferung als reichlichere und höhere Offenbarungsquelle als die Heilige Schrift. c) Die Dogmenentwicklung oder der Glaubensfortschritt.
3. Bezüglich des Gnadenstandes des ersten Menschen und der Erbsünde irren vorgeblich die Katholiken : . . . e) Durch das Dogma der Unbefleckten Empfängnis." „Stimmen der Zeit" 95 (1918) 26-27.

Refelluntur autem schismatici hac in re ab ipsis autenatis suis schismaticis, qui inter alia Immaculatam Conceptionem Matris Dei, in qua evolutio dogmatis sensu catholico evidenter admitti debet — agnoverunt, ita ut in synodis libros solemniter approbarent, in quibus hoc privilegium Virginis propugnabatur. Idem quoad alias doctrinas ostendi posset et in specie quoad Assumptionem corporalem Virginis e testimoniis ipsorum schismaticorum allatis manifeste apparet. Unde etiam elucet hanc fidem non fuisse intrusam a Latinis cum Oriens præcederet Occidentem. — Excipiendus est Sergius Bulgakov, qui in libro „Tentamen dogmaticæ explicationis aliquorum punctorum in orthodoxo cultu". Parisiis 1927, rectam doctrinam de SS. Virgine Maria se velle exponere et contra adversarios tum orthodoxos tum catholicos defendere asserit. Assumptionem Dei Genitricis quoad corpus in cœlum defendit, sed hanc assumptionem corporalem plane necessariam Virginique debitam esse docet, id quod profecto concedi nequit. Primo enim Deus liberrimo consilio Mariam Matrem Filii sui elegit. Sed etiam hac maternitate divina supposita nullatenus asseri potest Assumptionem quoad corpus debitam fuisse Virgini. Cf. de Mariologia Sergii Bulgakov: Th. Spačil in Orientalia Christiana, Vol. XI, 4., 1928, Num. 43, p. 195-202.

[1] Cf. Wiederkehr. Die leibliche Aufnahme a. l. p. 111.

LAUS VIRGINI.

APPENDIX I

Alia adhuc testimonia liturgiæ Syriacæ et Copticæ de incorruptibilitate Mariæ **quoad corpus** et animam.

Iam superius in S. Hippolyti scriptis collatis cum verbis Severiani Gabalorum episcopi Mariæ corpus **arcam omnis corruptionis expertem** salutari invenimus. Quod egregie confirmatur iterum ex officio, quo utitur Ecclesia Syro-Maronita. „Par ordre du Seigneur, Moïse construisit une Arche d'un bois incorruptible afin de servir de demeure à Dieu qui voulait sauver le peuple corrompu. »**Marie, est l'Arche du Seigneur, qui n'a pas été corrompue par le péché**«, car Dieu l'a élue de toute éternité puis il est descendu dans son sein très pur."[1]

Et iterum: „L'Arche n'a point subi l'action délétère des eaux du déluge; car Noé l'avait construite pour le salut; ainsi est demeurée **à l'abri de toute action corruptive l'Arche de Iustice Marie, que Dieu, l'architecte de l'univers, a construite,** en la mettant au dessus de tous les saints, pour en faire un Refuge et un Asile."[2]

Alias: „En ce temps — là le prophète Moïse fit l'Arche, dans laquelle il mit les deux Tables des commandements, la manne et la Verge d'Aaron. Il la couvrit d'or pour être la demeure du Dieu Sabaoth et un instrument de salut pour le peuple hébreu. **Or Marie est elle-même l'Arche incorruptible du Seigneur.**"[3]

Certe primarie hisce textibus agitur de præservatione a corruptione peccati originalis. Sed etiam **corruptio corporis in sepulchro** eliminatur. Maria enim Archa continens

[1] Témoignages de l'Eglise Syro-Maronite en faveur de l'Immaculée Conception de la T. S. V. Marie par le Père J. Hobeika-Basconta (Liban) 1903, Impr. Orient. Hadet. (Techmecht. Off. de la fête de l'Imm. C.) p. 43.
[2] Ibid. p. 44.
[3] Ibid. p. 48.

Christum, quem indigitabant illa, quæ in Arca Veteri includebantur, præcise est **quoad corpus.** Quare si omnis corruptio cohærens cum peccato excluditur, profecto etiam a corpore arcetur. Cum idem Officium mortem Mariæ annuntiet, incorruptibilitas ista eliminat profecto resolutionem in sepulchro. Hoc eo vel magis quia tantopere in purificatione tum corporis, tum animæ insistitur, ut **etiam quoad corpus** corruptio inducta per lapsum Adami a Matre Dei arceatur.

„Louange, o Christ, qui pour notre salut, a abaissé la hauteur de sa sublime grandeur, et est descendu d'une manière ineffable dans le sein de la Vierge Sainte; celle qui a été »purifiée d'avance dans son corps comme dans son âme« et sanctifiée par les dons du Saint-Esprit, qui s'est élevée au dessus de toutes les créatures par la vertu du Verbe vivant incarné en Elle."[1]

Maria **quoad corpus** et animam in eodem statu invenitur ac Heva ante peccatum.

„De combien de charmes Marie paraît-elle pleine à qui la contemple avec attention! — Elle unit à une intelligence pure, une âme pleine de l'amour de Dieu. — Une Femme pauvre et un ange se sont rencontrés et ont conclu une paix. — La Jeune Fille Marie et l'Ange ont extirpé de nous l'inimitié qu'il y avait entre Dieu et Adam. — »**Dieu l'a dotée de la beauté d'Eve avant son péché.** — Le Saint Esprit a choisi tout d'abord la Vierge, puis il a habité en Elle, comme il lui a plu. — Dieu a donné a Marie l'apanage des enfants par l'Esprit-Saint au moment où il de-

[1] Passages tirés de l'Office férial ou bréviaire hebdomadaire connu sous le nom de Schhim iuxta versionem ap. Hobeika Témoignages de l'Eglise Syro-Maronite a. l. p. 24; quoad ætatem huius officii hæc affert clarissimus Hobeika: „En effet les historiens de notre nation entr'autres le savant Patriarche Etienne Douaïhy, et notre tradition nationale ininterrompue en attribuent avec certitude à l'initiative de notre Bienheureux Père St. Jean Maron, premier Patriarche de notre nation Maronite, lequel s'est endormi dans le Seigneur en 705 ou 707. — Quant aux compositeurs différents de cet office, ce sont: St. Ephrem le Syrien (373); Balay, un de ses disciples (400); St. Marotas, evêque de Myafarkin; St. Isaac le Grand (459); St. Jacques de Sarouge, et d'autres Pères de l'Eglise Syriaque." Ibid. p. 16.

scendit en Elle. — La Vierge pleine d'amour et de foi devint »la privilégiée de Dieu« — Et Dieu a sanctifié son corps comme il l'avait fait pour notre mère Eve avant que celle-ci eût péché par convoitise."[1]

Eadem doctrina invenitur in **Liturgia Coptica:** „Omnes filii Israel munera ad tabernaculum Domini attulerunt, aurum, argentum, lapides pretiosos, byssum, hyacintum arcam construxerunt **cum ligno incorruptibili,** quod erat tectum auro intus et foris: etiam tu induta es, Maria Virgo, gloria divinitatis intus et foris."[2]

Huc pertinent, quæ Livius ex aliquo hymno Æthiopico a J. M. Rodwell publicato affert: „Die Arche, welche ganz mit Gold bedeckt und aus unverweslichem Holze verfertigt war, versinnbildet Ihn uns, der das göttliche Wort war und als Gott Mensch wurde ohne Wechsel oder Trennung, rein und unverweslich, dem Vater gleich, ... welcher von dir Fleisch annahm ohne Schaden für die Gottheit ...

Du bist die reine Lade von Gold, in welcher das Manna aufbewahrt wurde, jenes Brot, welches vom Himmel herabkam ...[3]

Sine ullo dubio hæc omnimoda incorruptio saltem connotatur, cum Maria in festo Assumptionis salutatur Rubus ardens, qui non comburebatur. „Te rubum inustum, montem lapidem gignentem, portam clausam et fontem signatum Prophetæ prædixerunt, Mater et Virgo ...[4]

---

[1] Extraits du Propre des Fêtes, connu sous le nom de Fonkites ap. Hobeika a. l. p. 29-30; de hac parte Officii ita iudicat cl. Hobeika: „Quant aux compositeurs et auteurs des prières des Fonkites, ce sont, de l'avis de notre savant et critique historien, Monseigneur Debs, Archevêque de Beyrouth, de pieux moines et ermites. Ces prières dont quelques unes sout tirées de St. Ephrem, et des autres Perès de l'Eglise Syriaque, compositeurs de notre office férial, datent pour la plupart du commencement du VII[e] siècle et même d'avant, mais ne sout pas ultérieures au XV[me]." Ibid. a. l. p. 18.

[2] Theotochia ed. De Lacy o'Leary, London 1923, Luzac a. l. p. 2.

[3] Livius, Die allers. Jungfrau bei den Vätern der ersten sechs Jahrh. trad. Germ. opera Arenberg et Dhom a. l. t. II, p. 391 sq.

[4] Laudes et Hymni etc. ex Arm. Brev. exc. a. l. p. 66.

Quod in Arca ex lignis putrefactioni non obnoxiis fabrefacta verificatur, sublimiori prorsus modo in Maria adimpletur. **Omnimoda** enim incorruptibilitas conspicitur, incorruptibilitas **quoad corpus et animam** per modum **unius privilegii** Virgini tribuitur. Qua in re eliminationem resolutionis in sepulchro **tamquam divinitus revelatam** nequaquam inde haurire intendimus, quod arca imputrescibilis typus **divinitus** incorruptibilitatem Mariæ quoad corpus præfigurans exstat, (hoc enim superius utpote non satis probatum reiecimus), sed potius ita argumentamur: Postquam ex testimoniis traditionis **completam** incorruptibilitatem Matris Dei instar **unius** decoris exhiberi probavimus, iam licet inferre, cum aliqua constitutiva huius incorruptibilitatis, i. e. immaculata conceptio, virginitas in partu tamquam dogma proclamentur, etiam totum privilegium ut divinitus revelatum proponi, proinde etiam immunitatem a resolutione sepulchri. Nunquam enim ne vestigium quidem invenitur, unde appareat immunitatem a corruptione sepulchri minore certitudine tradi.

Scrupulus forsitan cuidam inici posset, nempe hanc fidem privilegiorum Matris Dei hæresi Monophysitarum ortam et promotam esse. Cum enim unam tantum in Christo naturam admitterent, nonne eo ipso induci debebant, ut Matri Dei nimium quid tribuerent?

At illi qui tale quid mente revolveret facillime illa suggeri possunt, quæ dubium hoc penitus eradicent. Nonne ista fide iam Oriens magna ex parte imbutus erat ante Monophysitismum exortam? Nonne hæc fides eadem efficacia apud Nestorianos invenitur hæresi e diametro oppositæ adhærentes? Nonne principia tamquam revelata pandimus, unde invigilante Spiritu Sancto Ecclesiam in omnem veritatem inducente hæc fides aliquando explicita enasci debebat?

Merito potius Livius citans verba J. M. Rodwell observat disserens de Hymno Æthiopico superius citato: „Tatsächlich ist sie einer der zahlreichen Beweise dafür, daß vor der Trennung der großen Häresie des Eutyches von der Kirche bei den Katholiken sowohl als bei den Irr-

lehrern ein bedeutendes Wachstum der Andacht zur Gottesmutter Platz gegriffen hatte ... Denn wie anders ließe sich die bemerkenswerte Tatsache erklären, daß unter sämtlichen alten Sekten, die Nestorianer sogar nicht ausgenommen, weit mehr unter den Jakobiten aller Klassen und den schismatischen Griechen eine außerordentliche Andacht zur Allerseligsten Jungfrau herrscht, als dadurch, daß sie dieselbe vor ihrer Trennung von der katholischen Kirche besassen und beibehielten."[1]

Ubi observandum remanet hunc hymnum privilegia Virginis canentem, prout examine critico instituto apparet inter ætatem Concilii Ephesini et Chalcedonensis ortum esse. Quare iterum egregie argumentum in Epilogo e consensu Ecclesiarum Orientalium a Catholica dissidentium depromptum confirmatur.

[1] Livius, Die allers. Jungfrau bei den Vätern der ersten sechs Jahrh. a. l., t. II p. 390-391.

APPENDIX II

A. Judicia de antiquitate cultus Assumptionis.

Quoad festum Assumptionis B. V. clarissimus F. Cabrol hæc affert: „Dans tous les cas, et même en ne tenant pas compte de ces derniers témoignages, le fait que, à la fin du VI^e siècle, l'Assomption est célébrée solennellement en Orient et en Occident, nous permet de remonter pour son institution jusqu'au commencement de ce siècle ou même à la fin du V^e. C'est dans l'état actuel des recherches, tout ce que nous pouvons affirmer."[1]

Duchesne ita iudicat: „Vers le temps du concile in Trullo (692) qui les marque toutes les quatre, nous trouvons à Rome un document non seulement sur les deux fêtes,[2] mais encore sur deux autres commémorations de la sainte Vierge, celle de la Nativité (8 Settembre) et celle de la Dormition (15 Août). Les quatre fêtes sont marquées dans le sacramentaire gelasien, au commencement du huitième siècle. Elles étaient donc entrées, dès le septième siècle dans l'usage romain ... Ces quatre fêtes sont, pour l'Occident d'importation byzantine. Elles furent d'abord introduites à Rome: les pays de rit gallican ne les connurent pas avant l'adoption de la liturgie romaine."[3]

Quoad obiectum festivitatis hæc notat Nilles: „Quamvis Græci festum *Κοίμησιν* vocent, iidem nihilo tamen minus cum Latinis credunt, eodem die et obiisse et ad cœlos reducta in corpus anima assumptam esse sanctissimam Deiparam, quemadmodum produnt orationes patrum ..."[4]

B. Difficultas e verbis Patrum Ephesinorum deprompta discutitur.

Superius de difficultatibus specietenus excludentibus notionem doctrinæ Assumptionis corporalis ut veritatis

[1] Dict. d'Arch. Chrét. t. I, 2 art. Assomption 2999.
[2] Annonciation, Purification.
[3] Origines du culte chrét. 4 edit. Paris 1908, Fontemoing. p. 278.
[4] Kal. Man. t. I, p. 245; cf. eiusdem auctoris notas quoad alios ritus t. I, p. 249, 480, 489 et t. II, p. 563, 684, 703.

divinitus revelatæ locuti istam omisimus, quam Le Hir discutit: „(Ces objections écartées) il en reste encore une qui, du moins en apparence est plus sérieuse. Elle est tirée de la lettre synodale des Pères réunis à Ephèse pour le concile œcumenique de l'an 431. Ils sont rassemblés, disent-ils, dans le lieu où (est) l'apôtre S. Jean et la Vierge — mère: *Ἔνθα ὁ θεολόγος Ἰωάννης καὶ ἡ Θεοτόκος παρθένος, ἡ ἁγία Μαρία.*

Ce texte ne va-t-il pas directement à l'encontre non seulement de la tradition des fidèles de Jérusalem, mais même de la résurrection de Marie?"

Huic difficultati respondet deinde Le Hir: „On n'en pourrait douter, si la leçon était certaine, et avait le sens que plusieurs lui ont donné. Mais il faut avouer que la tournure de la phrase a quelque chose d'insolite et d'étrange. Nous ne dirions pas aujourd'hui de S. Pierre qu'il est à Rome, mais tout au plus qu'il y repose (iacet, dormit, requiescit), si nous voulions faire entendre que son corps y est conservé. La phrase grecque manque donc d'un verbe indispensable à la regularité de la construction, et omis par la négligence des copistes, ou bien il faut y chercher un autre sens. Si l'omission du verbe est une pure erreur de transscription, il est naturel de croire que les Pères ont voulu parler des célèbres églises dédiées à la sainte Vierge et au bien-aimé disciple dans cette métropole et de suppléer l'omission par ces mots *οἴκους ἔχουσι* ou quelques autres semblables. Si l'on tient au contraire pour l'intégrité du texte, il y aurait lieu d'examiner s'il ne se rattache pas a quelque croyance populaire, que les évêques rappellent sans la discuter ... Les Ephésiens n'ont-ils pas cru de même que la mère de Dieu honorait d'une présence spéciale le lieu où elle était plus, particulièrement honorée et obtenait des grâces plus signalées à ceux qui l'invoquaient avec ardeur."

Quærit demum auctor articuli speciales rationes afferre, cur admitti nequeat Ephesi sepulchrum Matris Dei exstitisse. „Si le tombeau de Marie avait été à Ephèse, on en trouvait sûrement d'autres traces dans l'histoire. Des le,

second siècle, Polycrate, évêque de cette métropole n'eût pas manqué de s'en glorifier dans sa lettre au pape S. Victor, relative à la controverse de la pâque."[1]

Verba accusata in epistola synodali inveniuntur, quam Patres Ephesini ad clerum populumque Constantinopolitanum dederunt: „Nemo unquam creatori suo obsistere ausus, divinam vindictam evasit... Quare et Nestorius impiæ hæreseos instaurator, cum in Ephesiorum civitatem pervenisset, in qua Ioannes Theologus, et deipara Virgo sancta Maria *[ὅθεν καὶ Νεστόριος ὁ τῆς δυσσεβοῦς αἱρέσεως ἀνακαινιστὴς, φθάσας ἐν τῇ Ἐφεσίων, ἔνθα ὁ θεολόγος Ἰωάννης, καὶ ἡ θεοτόκος παρθένος ἡ ἁγία Μαρία]* a sanctorum patrum et episcoporum cœtu ultro seipsum abalienans, malæque conscientiæ reatu impeditus accedere non audens, post trinam citationem, iusta sanctæ trinitatis sententia, divinoque patrum iudicio condemnatus, et omni sacerdotali dignitate privatus est."[2]

Verba illa propter quæ difficultas movetur nonnisi **incidenter** dici neque ullo modo quid quoad vitæ terminum et exuviarum sanctarum Virginis sortem fidelibus imponi contextus evidentius ostendit. Etiam quæ in antecedentibus a Le Hir ad reppellendam instantiam dicta fuerunt optimo iure sustineri posse patet.

Sed etsi adversariis Patres Ephesinos illi opinioni adhæsisse daremus, iuxta quam corpus Beatissimæ Matris Dei in metropoli illa asservaretur, nihil contrarium illis, quæ in hac disquisitione propugnantur, evinceretur. Iam superius cautum est characteri doctrinæ **ut divinitus formaliter implicite revelatæ** nullo modo contrariari, si per aliquod tempus penitus ignoretur, immo aperte impugnetur; dummodo interim in Ecclesiæ professione salva tectaque manent illa principia, in quibus formaliter implicite continetur.

---

[1] „L'Assomption de la Sainte Virge: Études Rel. Nouv. série t. 10 (1866) 524-526.

[2] Mansi t. IV, 1242.

APPENDIX III

Traditio **formalis implicita** Assumptionis ut ab Apostolis oretenus communicata et S. Scripturam excedens admittitur.

Superius pro evectione Beatissimæ Matris Dei ad gloriam cœlestem quoad corpus revelationem formaliter implicitam propugnavimus. Doctrinam in Protoevangelio et Salutatione Angelica inclusam evolvimus reiecta traditione **explicita** doctrinæ nostræ ex parte Apostolorum. Igitur suspicari quis posset nos non admittere traditionem nisi ex ipsis textibus Sacrarum Litterarum haustam, minime vero communicationem specialem præsertim quoad rectam intelligentiam sacrorum textuum divinitus traditam et ab Apostolis oretenus impertitam.

At traditionem specialem ab istis sacris comitibus Christi Ecclesiæ oretenus impertitam tamquam fontem huius doctrinæ glorificationis corporalis Virginis **a S. Scriptura distinctum ipsamque excedentem** profecto admittimus. Sed hæc traditio respectu privilegii, quod hisce paginis ut divinitus revelatum propugnandum suscepimus **non est nisi formaliter implicita.** Ipsa imprimis expositionem et intelligentiam textuum sacrorum respicit; deinde principia illa communicat, in quibus formaliter implicite glorificatio corporalis Virginis includitur.

Talem traditionem oretenus ab Apostolis communicatam omnino admittimus. Nam generatim „Catholici Scripturam et Traditionem inhæsivam concipiunt **ut duos fontes distinctos** earundem veritatum."[1]

Insuper in materia nostra speciales rationes habentur, quæ talem traditionem etiam aliquantisper S. Scripturam excedentem commendant.

---

[1] Van Noort. Tract. de Font. Revel. nec non de Fide Div. ed. alt. rec. Amstelodami 1911, van Langenhuysen. p. 111.

Statim enim ab initio interpretatio Protoevangelii et Salutationis Angelicæ apud plerosque Patres tam certa exstat, ut facillime tibi persuadeas traditionem specialem de intelligentia istorum textuum sacris interpretibus instar lucernæ præluxisse. Qua in persuasione confirmaberis ex propugnata retorsione in opere salutis, ex associatione Matris cum Benedicto Semine in negotio redemptionis. Pariter cum in Traditione partum Virginalem tamquam modum perfectissimum liberationis a maledictione Hevæ deprehenderis, iam Traditionem excedentem S. Scripturam concedere non dubitabis.

APPENDIX IV

Iudicia de sermone CXVIII a Mai S. Augustino tributo.

Quoad sermonem CXVIII superius p. 56 sq. citatum, qui a Mai S. Augustino tribuitur liceat præter ibi adnotata afferre iudica duorum, qui in hac re iure meritoque maxima auctoritate fruuntur. Clarissimus **A. Wilmart**, ita sententiam suam enuntiat:

„Angelo Mai a fait valoir les droits de saint Augustin sur ce sermon sans réserve aucune. Il s'exprimait ainsi en 1842: »Quisquis beati Augustini stilum, præsertim in sermonibus, parumper callet, hunc quem in manibus habemus tractatum sine dubio inter sinceros reponet. Præterquam quod illa quæ statim sub initio adversus Manichæos dicuntur, quis non ab ore Augustini procedere agnoscit?« — puis derechef en 1852: »Quin autem sit Augustini nemo prorsus dubitabit, cuius undequaque exspirant atque redundant ingenii argutiæ, præter illam solitam Manichæorum mentionem . . .« Cf. Spic. Rom., VIII, p. 714; Nova Patrum Bibl., I, p. 247, n. 2.

Voilà qui est dit elegamment, et nous voudrions que la question d'authenticité fût aussi facile à régler. Mais l'autorité du premier éditeur n'est pas une raison dont, maintenant, l'on puisse se contenter. A son avis s'oppose aussi bien, celui des Mauristes, qui n'ont pas ignoré l'existence du même sermon, puisque non seulement le manuscrit de Fleury leur fut accessible, mais encore l'exemplaire de Sainte-Croix, — et qui, pourtant, se sont gardés de produire une pièce plus que suspecte sans doute à leurs yeux . . .

Je ne doute pas, pour mon compte, que les Mauristes aient iugé correctement, dans la circonstance, quel que soit l'intérêt qui s'attache au morceau. Ils avaient eu, plus

que Mai, l'occasion de se faire une juste idée des habitudes de saint Augustin dans ses prédications **ad populum**... Reconnaissons d'abord qu'au VI^e siècle, tant en France qu'en Italie, ce discours était déjà passé sous le nom de Saint Augustin... Il parait... que de fort bonne heure, peut-être dès le V^e siècle, le nom d'Augustin abritait cette composition.

Il est un autre détail du manuscript de Lyon qui mérite d'être relevé à savoir la finale: **Conuersi ad Dominum.** C'est bien ainsi que saint Augustin invitait ses auditeurs à la prière sollennelle de la liturgie, après les avoir exhortés. Le sermon CX, qui vient après dans le manuscript, s'y termine en effet par la même formule. Admettant cette conclusion du sermon CX, on ne peut rejeter la précédente, comme due au zèle d'un copiste ingénieux (et celui-ci, de fait, ne l'était guère). Il serait plus licite de supposer que le copiste employait un recueil de sermons censés tous d'Augustin, et dont chacun avait reçu la finale rituelle. Mais cette hypothèse même ne s'impose pas. La formule »Conuersi« n'appartenait pas en propre à l'évêque d'Hippone; ses collègues d'Afrique devaient aussi s'en servir, et rien n'empêche de croire qu'elle est originale à la place où nous la rencontrous, dans le sermon sur les noces de Cana."

E mente clarissimi Wilmart sermo CXVIII ex claris indiciis (allusiones ad sect. Manich. l. 19, 71, 79; particularitatibus Scripturisticis etc.) originis Africanæ censendus remanet.

At nequaquam Magno Doctore Africano auctore gloriari potest. »Tumor Afer«, tota dictio Augustino non conveniunt.

Quibus expositis in fine tamquam probabilem auctorem designat Quodvultdeus archiepiscopum Carthag. 437—453.[1] **Ergo et ipse sermonem sæc. V. ortum esse admittet, immo primo dimidio adiudicat.**

[1] A. Wilmart, Un Sermon Africain sur les Noces de Cana, passé sous le Nom de Saint Augustin: Rev. Bened. 42 (1930) 5-18 præsertim 15-18.

Maximopere gaudemus, quod nobis ut referamus sententiam clarissimi **Germani Morin** benigne concessum sit, quam sententiam publici iuris faciet in opere brevissime publicando: „(Nuptiæ in quibus Christus) Mai, Spicil. Rom. VIII, 718—722; Migne 47, 1144—1147; iterum Mai NPB. I, sermo 118. Auctoris est profecto antiqui, forte Afri. qui in Manichæos invehitur, vetere utitur Bibliorum translatione; sermo turgidus, verbis insolitis scatens."[1]

Hisce testimoniis et superius p. 57 relato innixis sermonem sæc. V tribuere nobis fas est. Profecto, si cum Eminentissimo Mai sermonem ipsi S. Augustino vindicare possemus, Magni Doctoris novum documentum in favorem Immaculatæ Conceptionis eiusdemque manifestissimam attestationem associationis Mariæ in ipso opere salutis possideremus. At etiamnunc sermo CXVIII pretiosissimus sane existimari debet; immo certo quodam respectu valor augetur. Insigne et invictum argumentum exstat sæculo V in Ecclesia Africana fidem Immaculatæ Conceptionis Virginis eiusdemque interventus in ipso opere salutis late propagatam fuisse, ita ut non tantum summi doctores horum privilegiorum vindices exstiterint, sed in prædicatione etiam non tam solemni laus Virginis resonuerit.

[1] Miscell. Agost., vol. I S. Augustini sermones post Maurinos reperti. Romæ 1930, p. 754. Jam antea clarissimus Morin in aliquo articulo: „Pour une future edition des opuscules de S. Quodvultdeus évêque de Carthage au V^e siècle: Rev. Bened. 31 (1914) 156—162 quoad auctorem suam sententiam enuntiaverat Africano sæc. V sermones istos tribuens et Quodvultdeus indigitans.

APPENDIX V

Sumptum doctrinæ S. Petri Canisii Univ. Eccl. Doctoris de Glorif. Corp. Virginis.

In fine S. Petrum Canisium Doctorem universalis Ecclesiæ a Sanctissimo Domino Pio Papa XI. gloriose regnante proclamatum audiamus. In opere de Maria Virgine incomparabili et Dei Genitrice sacrosancta, opere monumentali, sed proh dolor tam parum cognito ita habet: „Ostendemus inter alia multa et mirifica privilegia Deiparæ concessa, hoc quoque non minimum esse, quod illa post mortem in carne resuscitata et beata immortalitate vestita, corporis quoque felicitatem perceperit, ut etiam una cum anima simul et cœlesti regno auguste triumphet".[1]

Verum quidem est ipsum quoad hanc doctrinam ita edissere: „Quam piam Ecclesiæ credulitatem non esse vanam aut nuper excogitatam, floccique pendendam, nos primum veterum scriptorum sententiis confirmabimus deinde rationes varias quæ hanc sententiam piis probabiliorem faciat in medium adducemus: postremo illis respondebimus, qui Virginem cum corpore in cœlos assumtam vel negant vel dubitant".[2]

At S. Doctorem et hæreticorum malleum nequaquam dubitare, huic doctrinæ notam veritatis formaliter revelatæ concedere ex sequentibus elucebit. Postquam ad fidem Assumptionis firmius stabiliendam ad consensum Ecclesiæ Græcæ et Latinæ appellavit ad obiectionem sibi

---

[1] Alter tomus commentariorum de Verbi Dei corruptelis adversus novos et veteres sectariorum errores: In eo V libris diss. de Maria Virgine incomp. et Dei Gen. sacros. Ingolstadii 1583, Typ. Sartorii p. 618.

[2] Ibidem a. l. p. 619.

propositam: „Verum, inquiet aliquis utut sese res cum Hieronymo sive Sophronio habeat, tamen illud fatendum est Ecclesiam de hac Mariæ assumtione nihil certi credendum præscribere atque pronunciare" — ita respondet: „Sit ita sane, Apostolos et proximis seculis insequentes alios in iaciendis veræ fidei fundamentis occupatos, ad Christi ascensionem magis quam ad matris eius assumtionem docendam et inculcandam respicere voluisse: Ac multa sunt id genus alia, quæ postea in Ecclesia utiliter acceptata sunt atque retenta, licet inde ab initio non traderentur, neque certa lege definirentur. Etenim, ut dici solet, Ecclesia sicut aurora consurgit, ac pro temporum ratione aliis atque aliis tum moribus regitur, manente tamen semper fidei a Christo et Apostolis traditæ fundamento, quod seculis omnibus immotum atque invariabile perseverare necesse est..."[1]

Illis deinceps, qui scrupulo agitantur, quod de hac re in S. Scriptura textus nullus exstet nihilque inde pendeat, sive glorificationem corporalem Virginis credas sive non credas ita occurrit: „Notum est... ex quo fonte hæc aqua tam putida derivetur, nempe quod verbo Dei scripto fidem et observationem omnem Ecclesiæ alligatam esse, nihilque præter Dei verbum expressum in religione valere contendant. Hoc autem illorum et Arianorum commune idolum est, toties a nobis eversum atque ab aliis etiam protritum, ut actum agere pigeat,... Satis nunc sit unumque probatissimum Theologum Augustinum citasse, qui de Mariæ assumtione disserens exemplis evincit permulta esse certa quæ alioquin in Scriptura canonica non expresse traduntur. Adiungit et illud: Quædam Scriptura sancta veris indagationum studiis quærenda reliquit: quæ non sunt superflua æstimanda (dum vera indagatione fuerint patefacta). Ac rursus: Sunt quædam quæ, quamvis in Scriptura commemorari ex toto omissa sint, vera tamen ratione creduntur".[2]

---

[1] Ibidem a. l. p. 630.
[2] Ibidem.

Duo in verbis S. Doctoris quoad rem nostram specialem attentionem merentur: 1°. Explicare intendit, quomodo Assumptio Virginis ita in revelatione contineatur ut **obiectum fidei divinæ** evadere possit. Dum enim Ecclesiam usquemodo hanc doctrinam certo credendam non proposuisse concedit, evidenter hoc in futuro fieri posse contendit. Verba enim: „Sunt quædam quæ, quamvis in Scriptura commemorari ex toto omissa sint, vera tamen ratione creduntur" obvie sumpta hoc clamant.

2°. **Transitum a statu revelationis formaliter implicitæ ad fidem explicitam Assumptioni Virginis applicat.** „Multa sunt id genus alia, quæ postea in Ecclesia utiliter acceptata sunt atque retenta, **licet inde ab initio non traderentur".** Ratio ab ipso hæc statuitur: „Sit ita sane, Apostolos et proximis seculis insequentes alios **in iaciendis veræ fidei fundamentis occupatos** ad Christi ascensionem magis quam ad matris eius assumtionem docendam . . . respicere voluisse" et iterum deposito ab Apostolis tradito immutabiliter perseverante „Ecclesia sicut aurora consurgit" ita ut posteriori ætate quid instar dogmatis credatur ab initio in fundamentis Apostolicis inclusum.

INDEX ANALYTICUS

Procœmium:

A. Notæ præliminares: pag.

a. Determinatio obiecti probandi ut divinitus revelati . . . 5
b. Viæ principales quibus diversi auctores definibilitatem Assumptionis corporalis ut dogmatis defendere conati sunt 6
c. Requisita ad definibilitatem veritatis ut dogmatis . . . 16
d. Difficultates specietenus obstantes quominus hæc veritas formaliter revelata censeatur 19
e. Conspectus argumentationis instituendæ 31

B. Argumentatio nostra:

Argumentum Primum:

Associatio Deiparæ cum Christo in victoria de morte eximit a permanentia in morte:

I. Præmissa Maior: Maria Christo in victoria completa de serpente associatur 32
1. Identitas victoriæ Mariæ et Christi ex verbis Pii IX . . 33
2. Eadem identitas ex interpretatione Patrum 35
3. Eadem ex ipsa expositione Protoevangelii 58
II. Præmissa Minor: Participatio Mariæ in victoria de morte corporali 63

Argumentum Secundum:

Immaculata Conceptio liberat a permanentia in morte:

a. Præambula argumenti 69
b. Ipsum argumentum:
1. Quatenus S. Scripturæ innitur 75
2. Quatenus Traditioni innititur 79
α) Immunitas a labe originali eximit a vinculis mortis . 80
β) Immunitas a maledictione Hevæ liberat a servitute mortis 91
γ) Difficultates earumque solutio 120

Argumentum Tertium: pag.

Partui virginali in revelatione incorruptio sepulchri annectitur:

a. Præambula argumenti 127

b. Ipsum argumentum:

1. Partu virginali mors conteritur 129

2. Mariæ omnimoda incorruptibilitas *instar unius decoris* vindicatur 133

3. Nexus inter partum virginalem et incorruptionem in sepulchro specialiter ut formaliter revelatus defenditur 164

4. Corpus Matris Dei dotibus corporis gloriosi gaudet . 168

C. Epilogus:

a. Consensus Ecclesiarum Orientalium etiam separatarum signum revelationis formalis exstat 170

b. Negatio posterior schismaticorum Russorum explicatur . 173

Appendix I. Nota de traditione Syriaca 175

Appendix II. Nota de traditione Græca. Obiectio ex verbis Patrum Ephesinorum discutitur 180

Appendix III. Nota de ipsa traditione formaliter implicita a nobis statuta 183

Appendix IV. Indicia de Sermone CXVIII a Mai S. Augustino vindicato 185

Appendix V. Sumptum doctrinæ S. Petri Canisii Univ. Eccl. Doctoris de Glorif. Corp. Virginis 188

INDEX LITTERARIUS

Aliqui auctores nominantur, qui in operibus Mariologicis de Assumptione B. V. scripserunt aut specialibus operibus huic quæstioni operam navarunt:[1]

J. Albrecht, Die Gottesmutter. Freiburg 1913, Herder; præsertim p. 80—87.

D. Arnaldi, Super transitu B. Mariæ Virginis Deiparæ expertis omni labe culpæ originalis dubia proposita. Genuæ 1879, Montaldo.

L'Assomption de la Sainte Vierge. Period. apparet cura **Broussolle** inde ab anno 1918.

L'Assunta, Mensile di Mariologia e Apologetica Rel. Apparet cura **C. Crosta** inde ab anno 1916.

Barbier, La Sainte Vierge d'après les Pères. Lyon 1867, Girard; præsertim t. III p. 286—326.

B. Bartmann, Maria im Lichte des Glaubens und der Frömmigkeit[3-4]. Paderborn 1925, Schöningh.

Baumstark, Die leibliche Himmelfahrt der allers. Jungfrau und die Lokaltradition von Jerusalem. Oriens Christ. 4 (1904) 371—392.

J. Bourrassé, Summa Aurea de laudibus Beatissimæ V. M. Paris 1866, Migne; præsertim p. 287—327.

R. Buselli, Sulla definibilità dogmatica dell'Assunzione Corporea di Maria Santissima. Firenze 1863, Bettazzi.

E. Campana, Maria nel dogma cattolico[3]. Torino 1928, Marietti.

[1] Ab auctoribus articulorum de Assumptione, qui in pervulgatis dictionariis theologicis exstant et operum dogmaticorum, quæ Mariologiam tantum ut partem complectuntur enumerandis abstinemus.

C. M. Cervetti, La Assunción de la Santisima Virgen en cuerpo y alma a los cielos. Santiago (Chili) 1922.

Cozza-Luzi, De corporea assumptione B. Mariæ Deiparæ testimonia Græcorum. Opusc. pretiosissimum tamquam appendix in op. A. Vaccari exstat, de quo infra.

C. van Crombrugghe, Tractatus de B. Virgine Maria. Gandæ 1913, Scheerder; præsertim p. 169—180.

A. Deneffe, Gehört die Himmelfahrt Mariä zum Glaubensschatz. Scholastik 3 (1928) 190—218.

J. M. Dourche, La Vierge toute sainte. Rome 1927, Desclée; præsertim p. 189—200.

J. Ernst, Die leibliche Himmelfahrt Mariä historisch-dogmatisch nach ihrer Definierbarkeit beleuchtet. Regensburg 1921, Manz.

idem: Die leibliche Himmelfahrt Mariä und das Dogma von der unbefleckten Empfängnis. Theol.-prakt. Quartalschrift 74 (1921) 226—237.

idem: Die Kongruenzgründe für die leibliche Himmelfahrt Mariä; ibidem 74 (1921) 381—389.

J. B. Ferreres, Maria por España y España por Maria. Barcelona 1910, Tip. Católica.

F. X. Godts, Définibilité dogmatique de l'Assomption corporelle de la Très Sainte Vierge. Réf. d'une rec. broch. a. Esschen 1924.

M. Gordillo, La Asunción de Maria en la Iglesia Española (siglos VII—XI). Madrid 1922, Estella del Mar.

K. Gutberlet, Die Gottesmutter. Regensburg 1917, Manz.

Jannucci, De psychosomatica et pneumatosomatica Deiparentis assumptione. Taurini 1884.

C. H. J. Jamar, Theologia Mariana. Lovanii 1896, Fonteyn. Q. III p. 133—140.

A. M. Jannotta, Theotocologia Catholica seu scientia de Virgine Maria Deiparente iuxta doctrinam Angelici

Doctoris Divi Thomæ Aquinatis methodo schol. exposita. Isola del Liri 1925, Tip. Maciocee Pisani; præsertim p. 223—275.

M. Jugie, La mort et l'Assomption de la Sainte Vierge dans la tradition des cinq premiers siècles. Echos d'Orient 25 (1926) 5—20, 129—143, 281—307, 385—392.

H. Jürgens, Die kirchliche Überlieferung von der leiblichen Aufnahme der seligsten Gottesmutter in den Himmel. Zts. f. kath. Theol. 4 (1880) 595—650.

J. Körber, Maria im System der Heilsökonomie auf thomist. Basis dargestellt. Regensburg 1883, Manz; præsertim p. 198—221.

L. Kösters, Maria die unbefleckt Empfangene. Regensburg 1905, Manz.

A. Kurz, Mariologie oder Lehre der kath. Kirche über Maria die seligste Jungfrau. Regensburg 1881, Manz. Aufnahme Mariä in den Himmel; p. 373—417.

A. Lana, La risurrezione e corporea Assunzione al cielo della Santa Vergine Madre di Dio. Roma 1880, tip. della Pace.

A. M. Lépicier Card., Tract. de Beatissima V. Maria Matre Dei. Parisiis 1901, Lethielleux; præsertim p. 208—220.

J. Linden, Die leibliche Aufnahme Mariä in den Himmel. Ztsch. f. kath. Theol. 30 (1906) 201—226.

Th. Levius, The blessed Virgin in the Fathers of the first six centuries. London 1893; versio germanica opera Ph. von Arenberg et H. Dhom. Trier t. I a. 1901; t. II a. 1907, Paulinus-Druckerei.

R. Michaud, La définibilité dogmatique de l'Assomption. Nouv. Revue Théol. 46 (1914) 453—468.

P. Minges, Über die Definierbarkeit der Lehre von der leiblichen Himmelfahrt Mariä. Theol. prakt. Quartalschrift 78 (1925) 546—557.

J. H. Newman, Die hl. Maria. Deutsch von G. Schündelen. Köln 1866, Bachem.

J. Niessen, Die Mariologie des hl. Hieronymus, ihre Quellen und ihre Kritik. Münster 1913, Aschendorff; præsertim p. 206—240.

G. Perrella, Quæstio utrum B. Virgo non solum in anima, sed etiam in corpore evecta fuerit in cœlum. Neapoli 1901.

P. Renaudin, La doctrine de l'Assomption de la T. S. Vierge, sa définibilité comme dogme de foi divine catholique. Paris 1913, Téqui.

A. Vaccari, De Corporea Deiparæ Assumptione in cœlum an dogmatico decreto definiri possit disquisitio historico-critico-theologica. Romæ 1869, typ. Salviucci.

J. B. Terrien, La Mère de Dieu. Paris 1900, Lethielleux; t. II[5]. p. 317—401.

K. Wiederkehr, Die leibliche Aufnahme der allersel. Jungfrau Maria in den Himmel. Einsiedeln 1927, Benziger.

233.84 8682
M 888
MUELLER, F.S.
AUTHOR
Origo... Doctrinae...B.V.M.
TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	Curso	
	Li	
	F. Mueller	
	Huesmo	
	STORAGE	

8682